


Recensirt in den Erlangischen gelehrten Anmerkungen und Nachrichten. X. St. Dienstag den 9ten Merz 1779. p. 79.

MEDICINA FORENSIS,

PRÆTER PARTES CONSUETAS,
PRIMAS LINEAS
JURISPRUDENTIÆ
MEDICO-MILITARIS
ET
VETERINARIO-CIVILIS
CONTINENS,

EDITA
A

D. JO. WILH. BAUMER,
IN ACADEMIA GIESSENA MED. PROF. PRIMAR.
ET PHYSICO PROVINCIALI.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
EX OFFICINA GARBIANA
MDCCLXXVIII.



PROOEMIUM.

Quod anno proxime elapſo, occaſione politiæ medicæ a me editæ, promiſi, medicinam forenſem brevi ſubſecuturam eſſe, ipſam, Benevole Lector, pro modulo meo, præſtiti. Cauſſam ſeparandæ utriusque hujus diſciplinæ, qua-

rum illa ad curiam, hæc ad forum pertinet, in politiæ medicæ præfatione proposui; nec est, ut isthæc iterum fusius moneam; cum tanta utramque disciplinam differentia intercedat, ut illam intelligere, haud difficile sit. Singulas doctrinas ad jurisprudentiam medicam pertinentes propriis quidem verbis ita, ut res ipsa tulit, proposui, id quod respectu medicinæ studiosorum satis fuisset. Ut vero etiam juris cultoribus, autoritates respicere adsuetis, aliquatenus satisfacerem, testimonia, ex probatissimis medicinæ forensis scriptoribus desumta, illis a me adposita sunt. Dum præterea jam diu in medicina forensi facienda occupatus sum, communibus exempla, pleraque ex proprio penu, quædam ab aliis autoribus fide dignis mutuo accepta, addidi; his enim dogmata bene illustra-


lustrari, atque memoria felicius teneri, notum est. In venenorum pertractatione non ea solum, quæ in veneno peremtorum corporibus inveniuntur, sed etiam symptomata a diversis illorum speciebus producta ideo enumeravi, ut in ejusmodi casibus tractandis toxicorum notas medicinæ cultores habeant, illisque pro diversa eorum natura, pharmaca appropriata in tempore opponere queant. Præcepta ad jus medico - *ecclesiasticum* pertinentia solito uberius a me pertractata, diversisque ecclesiis christianis accommodata sunt; ut Medici inter alteri ecclesiæ addictos medicinam facientes, quod ipsum mihi satis diu contigit, quandam actionum suarum ecclesiastico - forensium normam habeant. Totam autem hujus dijudicationem, approbationem, vel correctionem illis relinquo, quorum,


talia moderari, officium exigit; nemini enim hanc, vel illam ſententiam obtruſurus ſum. Juris medico-militaris primas lineas ideo duxi, quod in cauſſis milites eorumque officia attinentibus Medici ſæpius audiuntur, atque teſtimonia principiis phyſico-medicis nixa ab illis peti ſolent. Hanc autem diſciplinam ad majorem perfectionis gradum evehendam eſſe, facile largior. Quod denique jus veterinario-civile attinet, etiam hujus quædam fundamenta ponere, mecum conſtitui. Hactenus quidem Judicum, cauſſas, circa jumentorum pecudumque venditionem morbos ac mortes ortas, ventilantium, plerique in muliatrorum, lanionum atque carnificum enunciationibus acquieſcere conſueverunt; an ſatis, tuto ipſimet videant! Cum autem illorum magna plerumque, tam in anatomia comparativa,

tiva, quam in principiis veterinario-physicis ruditas sit, eorum responsa sæpius male cohæreant, atque contradictoriæ sint; jam Judicum atque Advocatorum prudentiores in caussis damni præstationem concernentibus, ex principiis veterinario-physicis dijudicandis, Medicorum responsa, meliore tutioreque eventu, requirere solent. Legibus atque statutis nostris provincialibus dogmata veterinario-civilia, nec non morborum naturæ a me applicata sunt. Cum autem illa in plerisque cum aliarum provinciarum statutis conveniant; hæc atque illa inter se conferre, atque, re exigente, dogmata mea ampliare vel limitare, Medicis forensibus in promtu erit. Si quædam in mea jurisprudentiæ medicæ pertractatione correctione opus habent, prudentum monita, veritatis amans, liben-

libenter admissurus, & quæ emendatione opus habent, sine hæsitatione correcturus sum. At male feriatorum cavillationes securus audire, nec in illis refutandis tempus perdere, soleo.

Dabam Giessæ
XI. Calend. Septembr.
MDCCLXXVIII.





PARS I.

DE MEDICINA FORENSI GENERATIM AGENS.

CAP. I.

De medicina forensi ejusque partibus.

§. I.

Scientia justi principiis physico-medicis fundati jurisprudentia medica, medicina forensis, est. *Jurisprudentia medica.* Sensu latiori principia physica hic sumuntur, ita, ut historiam naturalem, anatomiam, botanicam & chymiam simul comprehendant. Utramque etiam medicinam, tam quæ manu, quam quæ pharmacis medetur, seu circa morbos externos, vel internos versatur, huc spectare contendimus; ex his enim disciplinis principia,

cipia, medicinæ forensi inservientia, desumenda sunt. Cel. *Jo. Bohnius* de officio medici forensis c. I. p. DXXVIIII. legum, inquit, peritia sociam fidamque adjutricem sibi, sacro quasi fœdere, in jure dicendo medicinam jungit; ex quo utriusque connubio scientia medico-legalis prodit.

§. II.

Differentia a politia med. Cum, ad forum jurisprudentia medica pertinens, caussas secundum principia physico-medica ibi ventilandas dirimendasque spectet; eam a politia medica, tamquam philosophiæ parte, ad curiam pertinente, differre, prudentiores facile perspicient dabuntque; hæc enim non circa caussas forenses, sed circa rempublicam medicam bene ordinandam administrandamque versatur; quod in politiæ medicæ fundamentis, Francofurti MDCCLXXVII. a me editis uberius declaratum est.

§. III.

Ejus partes. Ad medicinam forensem jurisprudentia medica & veterinario-civilis, medico-militaris, medico-ecclesiastica, & medico-criminalis pertinent; in his enim foris omnibus caussæ quædam occurrunt, quarum recta investigatio atque dijudicatio nonnisi ex principiis physico-medicis peti queunt.

§. IV.

Jurispr. med. civil. objecta. Jurisprudentiæ medico-civilis objecta caussæ civiles, ex principiis physico-medicis dijudicandæ sunt, v. c. personarum privilegia, dolo-

dolosa morborum simulatio ac dissimulatio, lites circa curationes, medentium sostra, & pharmacorum conditionem ac pretia subortæ, nec non illæ, quæ, in jure veterinario civili, circa jumentorum & pecorum morbos mortesque, venditionem eorum irritam facientes, vel dolosam damnosamque pœna vindicandam, versantur. Posteriora hæc objecta a medicinæ forensis scriptoribus hactenus neglecta sunt: cum judicum inferiorum plerique, circa has caussas occupati, in carnificum, veterinariorum, empiricorum, laniorum, opilionum &c. responsis, ut plurimum non satis adæquatis, acquiescere solebant. Jam vero prudentiorum judicum atque caussarum patronorum mos est, ut, si de brutorum morbis vel mortibus ambigatur, medicorum, anatomiam comparativam artemque veterinariam probe callentium, sententias requirant, & sic firmiore fundamento nitantur; adeoque principia de brutorum morbis ac mortibus, venditionem eorum irritam pretiique restitutionem necessariam facientibus, in jurisprudentia medico-civili utique proponenda sunt.

§. V.

Jurispr. medico-militaris.

Caussæ ad forum militare spectantes tales sunt, ut vel ad jus civile commune & criminale commune pertineant, & secundum utraque hæc jura dijudicandæ sint: vel personas militares earumque officium propius respiciant, atque ad normam juris militaris (nach den Kriegsartikeln) vel, re exigente, secundum consuetudines militares (nach den Kriegsgebräuchen)

ventilandæ & decidendæ ſint. Reſpectu utrarumque nonnullæ obveniunt, quarum recta dijudicatio nonniſi ex principiis phyſico-medicis depromenda eſt; quæ, ut judices forum militare conſtituentes (das Kriegsgericht) ante ſententiam ferendam, Medicos audiant, neceſſario exigunt. Medicis atque Chirurgis valetudinem legionum, agematum atque militum præſidiariorum curantibus (Feld-Regiments-Guarniſon-Medicis und Chirurgis) &, re exigente, Medicorum collegiis, ejusmodi quæſtiones proponi, & ſecundum eorum relationes reſponſaque ſententias pronunciari, ſtatutum uſuque receptum eſt: Ergo, ut in jurisprudentia medica legum medico-militarium ratio habeatur, neceſſarium & operæ pretium eſt.

§. VI.

Jurispr. medico-ecclesiastica.


Nec in foro eccleſiaſtico, judicii eccleſiaſtici (des geiſtlichen Gerichts) vel Conſiſtorii nomine vulgo veniente, cauſſæ deſunt, quarum dijudicatio ex principiis phyſico-medicis petenda eſt, v. c. in eccleſia romano-catholica quæſtiones medico-legales de jejuniis, votis atque officiis eccleſiaſticis &c. in aliis eccleſiis chriſtianis de monſtroſorum baptismate, ingravidatione, impotentia virili ac muliebri, divortio, avtochirorum ſepultura &c. ſæpius incidunt, atque ex dictis principiis decidendæ ſunt.

§. VII.

Jurispr. med. criminalis.

In nullo foro plures cauſſæ ex principiis phyſico-medicis dijudican-

candæ, quam in criminali, obveniunt; adeoque in hoc potiſſimum opera prudentum Medicorum utilis atque neceſſaria eſt; cum in omnibus caſibus ex ſcientia phyſico-medica eruendis ad ſolidas Medicorum relationes atque reſponſa Jurisconſulti ſententias dirigant ferantque, v. c. ſi de ſtupro violento, curationibus ac pharmacis nocivis, damnoſa potulentorum adulteratione, venenis datis, læſionibus, uſum unius alteriusve partis depravantibus vel tollentibus, per accidens vel abſolute lethalibus, infanticidio, tortura, pœnis corporis afflictivis, ultimo ſupplicio, inquiſiti defenſione &c. quæſtiones incidunt.



Cap. II.

De perſonis medicinalibus facti certitudinem ex principiis phyſico-medicis eruentibus, & in foro pronunciantibus.

§. I.

Perſonæ med. forenſes.

Cum caſus & controverſiæ medico-forenſes non niſi ab artis peritis ſcite erui ac pronunciari poſſint; ut perſonæ medicinales iis determinandis a judice adhibeantur audianturque, oppido neceſſarium eſt. Ut autem illæ artem, quam profitentur, ad amuſſim calleant, jurejurando obſtrictæ ſint, debitamque dexteritatem, diligentiam ac fidem in caſibus propoſitis præſtent, quam maxime opus eſt. Ex quo ſimul adparet, a Magiſtratu publico ſedulo pro-

curandum esse, ut semper personarum medicinalium peritarum usuque exercitatarum sufficiens copia sit, & insuper invigilandum esse, ut in quovis casu forensi officio suo exacte satisfaciant, nec ejus investigationem negligenter tractent.

§. II.

Medicus forensis. De medicinæ Doctoribus vere eruditis atque in arte sua probe exercitatis credi potest, quod in disciplinis arti salutari ministrantibus, v. c. historia naturali, botanica, anatomia, chemia, physica, ut & in utraque medicina probe versati, hinc ad res physico-medicas dijudicandas, præ reliquis personis medicinalibus, habiles sint, eorumque opera in illis eruendis apteque pronunciandis quam maxime necessaria, utilis, sufficiens ac fide digna sit. Usu quidem pluribus in locis receptum, non autem oppido necessarium est, ut in rebus chirurgicis artemque obstetricandi concernentibus Chirurgi & artem obstetriciam exercentes, jurejurando obstricti quoque audiantur; horum autem relationibus, sine Medicorum doctorum concursu, non semper tuto creditur. *Fortunat. Fidelis*, in libris IV. de Medicorum relationibus, jurisprudentiam, inquit, qui profitentur, ipsique Magistratus gravissimi, Medicos consulere, horumque censuras in multis exposcere tenentur; quibus adjuti demum de rebus dubiis sapienter & integre judicant. Affirmante cel. *Jo. Bohnio* in tr. de renunciatione vulnerum c. VIII. Medico soli inspectionis & sectionis legalis munus concedi potest; finis enim, scilicet legitima inspectio & sectio, nec non genuina depositio vel rela-

relatio, cum sufficiente de ea judicio, obtinentur. Idem autor de offic. medic. forens. c. II. p. DXL. non medicis tantum, inquit, sed etiam Chirurgis & obstetricibus, utpote aliquam artis medendi partem exercentibus, in negotiis singulorum peritiam spectantibus, fides adhibetur; ita tamen, ut his a plerisque legislatoribus Medici moderatores constituantur, eorumque relationibus absoluta fides vix unquam habeatur, nisi unius alteriusve horum, vel collegii, consensus atque autoritas superveniat.

§. III.

Chirurgus forensis.

Chirurgi artis suæ satis periti de rebus chirurgicis, v. c. vulneribus, ossibus luxatis fractisve, damnis post hæc relictis, nec non de curationibus atque operationibus chirurgicis, nisi casus perdifficiles valdeque intricatos respiciant, validam in foro relationem dare possunt. Attamen illos docti Medici consensu ac testimonio suffultos esse, præstantibus est. Cum autem auxiliatricum utriusque medicinæ disciplinarum sæpissime prorsus ignari, eorumque plurimi in anatomia haud satis exercitati sint; casuum chirurgicorum difficiliorum dijudicationem vel inspectiones acsectiones legales illis solis credere, minime convenit. *Jo. Bohnius* de offic. Medic. forens. c. IV. p. DCIII. Chirurgorum, inquit, in deponendo coram judice opera non locum habet, nisi tantum in dijudicandis vulneribus, fracturis, mutilationibus, cicatricibus & paucis forte similibus, v. c. de erroribus ab alio Chirurgo commissis; nisi ab inepto prætore ad ejusmodi renun-

 ciatio-

ciationes trahantur, quarum argumenta illorum ſphæram longius tranſcendunt. Idem *autor* in tr. de vulnerum renunciatione p. VI. Chirurgorum, ait, plures ſufficiente anatomiæ notitia deſtituuntur, vulneraque, inter operandum, non tam luſtrant, quam faciunt. *Angelus Aretinus* in proœm. inſtit. ſi Magiſtratus, inquit, Medicorum conſilium requirere debet, an vulnus mortale ſit, nec ne? Medico, qui eſt Chirurgus, credere non debet, ſed, ut totius artis medicæ peritus ſit, oportet.

Schol. Conſtitutionis criminalis *Caroli* V. articulus CXLIX. quidem jubet, ut occiſi corpus, ante humationem, coram judice, ſcriba ac duobus ſcabinis, ab uno pluribusve Chirurgis, jurejurando ad hunc actum obſtringendis, omni ſtudio inſpiciatur, omniaque ei inflicta vulnera repertæque contuſiones ac tumores notentur conſignenturque. Hæc autem lex aſſertis noſtris minime repugnat; tum enim temporis, ut plurimis exemplis demonſtrari poteſt, medicinæ Doctores utramque medicinam faciebant, &, præter morborum internorum curationem, chirurgica tractabant; id quod etiam nunc apud Medicorum doctiores obtinet; licet plerique conſiliis ſuis Chirurgos in caſibus difficilioribus magis juvent, quam corporum humanorum vitiis ipſimet manus admoveant. Nihil etiam obſtat, quominus Chirurgus, diſciplinarum auxiliatricum & utriusque medicinæ ſatis gnarus, ſectionibus legalibus adhibeatur; nam non de eo hic agitur, quo titulo quis utatur; ſed an officio huic exequendo ſatis idoneus ſit?

§. IV.

§. IV.

Artem obstetr. exercentes.

In casibus variis artem obstetriciam concernentibus, v. c. violenta virginis defloratione, graviditate, partu haud ita pridem enixo, artis obstetricandi Magistri audiuntur, & obstetricum prudentiores ventris inspectioni adhibentur, atque ad renunciationem in foro, si opera illarum in Medici præsentia adhibita atque ab hoc approbata fuerit, admittuntur; ceteroquin enim earum depositionibus minime tuto creditur. *Jo. Bohnius* de offic. med. forens. c. III. p. DLXIX. solæ, inquit, obstetrices, sine Medicis, nec ad inspectionem, nec ad renunciationem, admittantur, &, ubi Medici & obstetrices in deponendo dissentiant; ab illorum, tamquam peritiorum, sententia standum est.

§. V.

Agyrtæ.

Personis medicinalibus agyrtæ atque empirici ne quidem accensendi sunt, tantum abest, ut in foro eorum relatio valida sit; artis enim peritia in illos non cadit, in illicito versantur, autoritate publica carent, nec jurejurando respectu artis medicæ obstringi possunt. *Jo. Bohnius* l. c. c. II. p. DXLI. communi, inquit Jurisconsultorum sententia ex Medicorum genuinorum ordine agyrtæ proscribuntur, nec in foro de rebus artem spectantibus deponere possunt, nec eorum renunciationibus ulla a collegiis medicis fides atque autoritas conceditur, & ipsimet ruditatem insignem in attestatis suis, si forsan ab incautis hæc postulentur, ad risum usque, testatum faciunt, actaque forensia testantur,



Cap. III.

De ratione casus medico-legales eruendi atque in foro legitime pronunciandi generatim agens.

§. I.

Requisitio expectanda. Non propria autoritate casuum medico-forensium investigationem Medici publici aggrediantur; sed summi Magistratus jussum aut judicis inferioris requisitionem, expectent. Cum autem ejusmodi casus haud raro culpose vel dolose, in læsorum damnum atque justitiæ impedimentum, taceantur, quandoque etiam prætores oscitanter & non satis caute agant; casus pro certo relati judici a Medicis denunciari possunt; ut actu necessaria decernat, vel si officii sui negligens sit, de eo decenter commoneatur, vel, amica providaque admonitione susque deque ab hoc habita, res adhuc integra ad summum Magistratum deferatur.

Schol. Cum pleræque personarum medicinalium relationes in foro rerum nocentium scrutinium, suspectorum & vulneratorum inspectiones atque occisorum hominum sectiones supponant; de illis hic generatim agam, reservatis ad quævis causarum genera specialibus.

§. II.

Promptitudo. Plerique casus medico-forenses, maxime periculosæ læsiones, & corpo-

corporum mortuorum ſectiones &c. ita comparatæ ſunt, ut nullam dilationem admittant; hic perſonæ medico-forenſes, a judice excitati, aliis ſuis negotiis poſthabitis, & ſi opus ſit, alterius curæ interea creditis, actutum ad juſſa exequenda ſeſe accingant, &, debito inveſtigationis apparatu inſtructi, ad locum definitum ſeſe conferant, juſtoque tempore & in teſtium neceſſariorum præſentia, repudiatis omnibus inquiſitionem retardantibus vel impedientibus, illud tantum agant, quod ipſa res deſiderat.

§. III.

Exacta ſcrutatio.

Inveſtigationi expoſita res quoad omnia ſua varia, ſeu totum ſuum ſtatum internum, ut & ſecundum omnia ſua connexa præcedentia, concomitantia & ſubſequentia, attente ponderanda eſt; hac enim ratione diſtinctam notionem de illa acquirere, eam rite dijudicare, atque ad forum poſtea deferre poſſumus. Hic ſane magna attentione, reflexione & recta ſufficientis temporis collocatione opus, nec quidquam temere aut feſtinanter agendum eſt. Quævis inventa verbis appropriatis, ne quid memoria excidat, ſtatim conſignanda, &, ſi opus, etiam præſenti ſcribæ in calamum iisdem verbis dictanda ſunt. Teſte *Jo. Bohnio* l. c. cap. II. p. DXLVIII. detrimentoſa & valde exitioſa eſt illa levitas & præpropera feſtinatio, qua ad deponendum vocatus Medicus in judicando ac pronunciando inconſultum omnino ſe præſtat, nec mature & circumſpecte ſatis in arduis ejusmodi negotiis expediendis agit. Indulgent etiam, quin commendant, Medicis at-

que

que Chirurgis Jurisconsulti illud festina lente, & ut diu de observatis, quod semel statuendum sit, deliberent.

§. IV.

Elaboratio. Casus investigatione summo studio peracta, tempus ad meditandum sumendum est, ut omnia in rectum ordinem, quem natura rei & artis regulæ exposcunt, redigantur, argumentis firmentur, probatissimorum autorum sententiæ evolvantur, experimenta chemico-physica, si iis opus sit, accurate instituantur, & sic solidæ in foro relationi via pandatur. *Fortunatus Fidelis* in fine libri IV. de Medicorum relationibus, nihil, inquit, dices, quod non satis digna meditatio judiciique maturitas elaboraverit: neque enim in gravi & difficili quæstione, & quæ forsan a vulgari diligentia remotior sit, dedecebit Medicum, doctum licet usuque ac literis præstantem, justum aliquod temporis spatium exposcere, ut, consultis autoribus, de re proposita sententiam ferat.

§. V.

Relatio. Ipsa in foro rei investigatæ ponderatæque relatio sat cito, ne caussæ ventilatio inique retardetur, vere, ordinatim ac distincte fieri debet. A communibus, longe petitis, & aliis casibus non satis adæquatis, Medicus referens abstineat; judex enim, non quid alio loco & tempore actum, sed quæ præsentis casus conditio sit? scire desiderat. Nihil hypothesibus atque opinionibus hic dandum; sed in fida casus enumeratione, & conclusionibus certis ex

ex eo deducendis, additis dubitandi decidendique rationibus, subsistendum est. Terminos Medicorum technicos periphrasi declarare, utile est, ut judex illos sufficienter intelligat. Si casus, ob impedimenta insuperabilia, v. c. nimiam corporis fracedinem, ita comparatus est, ut nihil certi statui possit, vel, si ob gravia momenta concurrentia, dubius manet; rem non satis liquere, vel dubiam esse, Medicus pronunciet, & Medicorum collegiis judicium de illo relinquat. *Joan. Bohnius* l. c. pag. DCXII. non possum, inquit, non redarguere illos Medicos, qui non ad casum individualem, sed generaliter respondent, & ab uno alterove casu ad individuum præsens concludunt. Asserente *Fort. Fideli* l. c. in nonnullas rerum occasiones nonnunquam incidit, ut, cum nihil certi de re proposita constet; dubia omnia incertaque referre nos etiam oporteat; non semper enim promptæ sunt rerum atque affectuum notæ; ut propterea in dubia & ancipiti Medicorum relatione satis justa esse possit excusatio.

§. VI.

Adponenda.

Quæ in corporibus læsis vel mortuis, sub vulnerum vel cadaveris lustratione ac sectione, præternaturalia, v. c. telorum frusta, globuli plumbei, ossium fragmenta, venena &c. inventa sunt, una cum instrumentis lædentibus, relationi actisque apponenda sunt, ut in judicio ferendo Medicorum & Jurisconsultorum collegiis inserviant.

§. VII.

Taciturnitas.

Cum nemini, nisi summo Magistratui, aut ab hoc delegato judi-

ci

ci, disquisitionum suarum Medicus forensis rationem dare tenetur; tam sub inspectionis & sectionis actu taciturnus sit, quam postea, quid ad illos retulerit, non effutiat; sæpius enim justitiæ interest, ut talia tempestivo silentio premantur. Eandem ob caussam omnes ab ejusmodi actibus forensibus arcendi sunt, quorum officium, ut illis intersint, non exigit.



Cap. IV.

De inspectione & sectione legali.

§. I.

Inspectio. Inspectio legalis vel sensu strictiori de læsionum vi illatarum in homine vivo investigatione, aut aliarum rerum physicarum lustratione Medico a judice demandata, vel latiori de læsionum externarum atque internarum in occiso homine investigatione adeoque simul de anatomica corporis mortui dissectione sumitur. Hic articuli CXLIX. constitutionis crim. Caroli V. sensus est; ibi enim diligens omnium vulnerum ac læsionum inspectio præcipitur, quæ respectu læsionum internarum & vulnerum altorum, in corporis cavitates penetrantium & nervos vasaque majora concernentium, sine sectione anatomica impossibilis est.

§. II.

Ejus antiquitas. Corporum mortuorum inspectionem, forte & sectionem, apud Romanos jam in usu fuisse, ab autoribus

bus nonnullis traditum est. Ex XXIII. vulneribus Julio Cæsari inflictis, Antistio Medico existimante, nullum lethale repertum, nisi quod secundo loco in pectore acceperat, apud C. *Suetonium* in vita Julii Cæsaris c. LXXXII. legimus. Corpus Germanici in Antiochiensium foro, antequam cremaretur, nudatum fuisse, & an veneficii signa prætulerit, parum constitisse, C. *Tacitus* annal. l. II. c. LXXIII. testatus est, vid. Dn. *Petri Gerike* progr. quo inspectionem cadaveris in homicidio apud Romanos in usu fuisse, ostenditur. Helmst. MDCCXXXIX. In occisis vulnerum qualitatem a Medicis peritis investigandam, & an lethalia fuerint, nec ne? dijudicandum esse, antiqua vestigia jus canonicum, *Decret. Greg.* l. v. tit. XII. c. XVIII. suppeditat.

§. III.

Inspectionis actus.

Vulnerati inspectio, Medicis a judice demandata, sine ulla dilatione, ne illorum culpa læsi status deterior fiat, quam accuratissime instituenda, omniaque respectu diætæ atque auxiliorum externorum atque internorum, quæ status istius præternaturalis desiderat, quantocyus ac diligentissime procuranda sunt. Vulnera aliæque læsiones quoad locum, qualitatem & quantitatem investiganda, & non solis oculis, sed pollicibus & lineis metienda, effluentia ex vulnere, aliena in illis hærentia, instrumenti lædentis indoles, figura, pondus, adplicandi modus, actiones læsæ, consideranda ac describenda sunt. Ad læsi nomen, sexum, ætatem, vitæ genus, corporis habitum, diætam, valetudinem præcedentem, læsionis tem-

tempus, auxilia neglecta, vel perperam aut recte, post vulnerationem, applicata, observatamque diætam sollicite attendendum, & sub suscepta curatione contingentia in protocollo consignanda, atque inventa & acta omnia distincte, ordinatim, solide ac caute suo quævis tempore, addito judicio hujusque rationibus, in foro pronuncianda sunt.

Schol. I. Cum quædam læsiones, v. c. capitis, & vulnera in corporis cavitates penetrantia, sæpius ita comparata sunt, ut non statim, sed demum temporis successu periculosa symptomata producant; Medicus in judicio de læsionibus ferendo non temere festinet, sed prognosin tam diu in dubio relinquat, usque dum læsio indolem suam magis manifestaverit, certamque prognosin formare, res ipsa siverit. Medicus sane culpa non caret, si læsionem sua natura ipsoque exitu lethalem periculo carere, statim ab initio præcipitanter judicavit.

Schol. II. Connexa externa læsionem præcedentia, concomitantia & subsequentia, v. c. morbi prægressi, ægri intemperantia & morositas, curationem turbantes, neglectus, nociva adhibita &c. ideo sollicite observanda ac notanda sunt, ut ea, quæ ab ipsa læsione, vel casu, aut erroribus admissis, pendeant, probe distinguantur & judici declarentur, ne aggressori ea imputentur, quæ aliarum caussarum effectus sunt.

§. IV.

De damno præstando. Peracta curatione, an læsus perfecte cum valetudine secunda in gratiam redierit, vel quædam mentis

mentis corporisve actiones depravatæ vel sublatæ fuerint, nec non quanta opera quantique sumptus curæ impensa fuerint, judici sincere indicandum est, ut rectam de damno impensisque præstandis sententiam ferre possit. Institutionum juris l. IV. tit. V. §. II. præceptum est, ut judex computet mercedes Medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operas, quibus caruit, & cariturus est ob id, quod inutilis est factus.

§. V.

Sectio legalis.

In veneni dati aliusve homicidii suspicione, omnibusque læsionibus, quas mors vel cita vel tarda, continuantibus ad mortem usque symptomatibus ab ipsa læsione productis, legali corporis mortui sectione, omniumque læsionum respectu quantitatis, qualitatis, loci & directionis accurata investigatione, ostensione ac consignatione opus est. Ipsa sectio quantocyus, antequam corpus putredine corrumpatur, a Medico vel Chirurgo anatomiæ probe perito & juramento obstricto, instrumentis idoneis, interdiu & in loco lucido, vel candelis sufficienter illuminato coram judice, scriba & duobus scabinis, (bey wohlbesetzter Gerichtsbank,) quam accuratissime peragenda est. In Nemesi Carolina art. citato sequentia respectu sectionis legalis præscripta sunt: Der Richter soll samt zween Schöffen, dem Gerichtsschreiber, und einem oder zween Wundärzten, die zuvor dazu beeydigt werden sollen, den todten Cörper, vor der Begräbniß, mit Fleiß besichtigen, und alle dessen empfangene Wunden, Schlag, Aufwerf, wie derer jedes gefunden

und ermessen würde, mit Fleiß merken und verzeichnen lassen. *Jo. Bohnius* de offic. Med. forens. c. IV. p. DLXXXII. & LXXXIX. adornetur, inquit, corporis mortui inspectio satis tempestive, ne superveniens putredo Medicum ab inspectione exactiore deterreat, aut corrupta interanea eidem imponant. Ad cadaveris jam fracidi inspectionem, vel evisceratione Medicus non obligatus est. Consimilia de hac re b. m. *H. F. Teichmeyer* in medic. legali c. XXI. qu. X. proposuit, & Medicum, cum propriæ sanitatis dispendio ejusmodi putridum corpus inspicere, teneri, negavit.

Schol. Personæ medicinales, qui læsorum curam habuerunt, si sectioni legali interesse velint, recte admittuntur; ut, omnia rite peracta esse, intelligant.

§. VI.

Connexa notanda. Quod circa vulneratorum inspectionem monuimus, non solum ipsas læsiones, sed etiam connexa antecedentia, concomitantia & consequentia accurate investiganda atque consignanda esse, idem etiam de legali corporum mortuorum sectione valet. *Jo. Bohnius* l. c. p. DLXXXXIV. Medicus, ait, præter cadaveris sectionem, sciscitari debet, qui vulnerati curam gesserint, vel percussioni adfuerint, de præcedanea naturali vel præternaturali percussi constitutione, de armorum genere, de situ corporis illius, dum percutiebatur, symptomatibus, curationis methodo, diæta, mortis tempore &c. Idem *autor* in tr. de renun-

renunciatione vulnerum pag. LXV. requiritur, ait, ut Medico de vulnerati ætate, diſpoſitione ante vulnus perpeſſum, item de cunctis illis, quæ a primo vulneris inflicti momento ad mortis usque articulum illi contigerunt, accuratius conſtet. Connexa probe ponderata inſpectionem non tantum accuratiorem facere, ſed etiam ad vulnus melius dijudicandum, & judicium de lethalitate promptius ferendum plurima argumenta ſubminiſtrare, *H. F. Teichmeyer* l. c. quoque teſtatus eſt.

§. VII.

Læſionum inveſtigatio.

Corpus mortuum, remotis omnibus inſpectionem & ſectionem impedientibus, v. c. ſordibus & ſanguine effuſo ablutis, capillis deraſis, extrinſecus quam accuratiſſime luſtrandum eſt, & quævis præternaturalia inventa judici ac teſtibus oſtendenda & ſcribæ ad protocollum (zu der Regiſtratur) dictanda atque a Medico iisdem verbis in pugillaribus notanda ſunt. Quamvis etiam nihil læſionum externarum compareat, ut in capitis percuſſionibus lethalibus experimur; minime tamen ſectio & interaneorum evolutio negligendæ ſunt, vid. *Jo. Bohnius* de offic. Medici for. c. IV. p. DLXXXIX. Ipſius ſectionis, nonniſi inſtrumentis anatomicis peragendæ, initium ab ipſis locis læſis ſumendum eſt. Vulnerum profunditas & directio, maxime in partibus mollibus, non ſpecillo, ſed ſucceſſiva atque artificioſa partium incumbentium remotione, inveſtigandæ ſunt. *Autor* modo laudatus in tr. de vulnerum inſpectione p. XI. a ſtili, inquit,

quit, ſimiliumque inſtrumentorum, antequam interior vulneris facies detecta ſit, improvida intruſione Medicus caveat. Quin, eodem teſte l. c. p. XIII. in ultimo puncturarum illatarum termino perſequendo magna circumſpectione opus eſt; cum in partibus internis, ob anguſtiorem inſtrumenti apicem, eo usque ſæpius connive- ant, ut proſectoris minus lyncei atque attenti oculos manusque facile fugiant. Indagine etiam accuratiore ſclopeto facta vulnera opus habent, utpote quorum globuli miros tortuoſosque adeo tractus ut plurimum deſcribunt, ut oculis ulti- mum eorum terminum & interaneorum læſio- nem, plagæ externæ minus reſpondentem, illo- rumque tendentias anfractuoſas, Medicus ſtu- peſcat.

§. VIII.

Reliquarum partium.

Poſt læſiones rite ſerutatas, et- iam ad reliquas internas corporis ſedes ſucceſſive deveniendum eſt, omniaque præternaturalia ſive a læ- ſionibus, ſive ab aliis cauſſis accidentalibus, v. c. morbis prægreſſis, vel jam præſentibus, depen- deant, nec non alia ſigna, e. g. in recens natis neglecta funiculi deligatio, vaſorum majorum vacuitas, pulmonum in aqua natatio &c. ſimili ratione ſcrutanda, oſtendenda atque conſignan- da ſunt; ſic enim dubiis poſtea movendis omnium optime occurritur. *Jo. Bohnius* de vulnerum inſpectione p. III. ſectio legalis, inquit, anato- miæ practicæ ſeu pathologicæ ſpecimen eſt, qua- tenus de facto præſente per autopſiam, reliquo- rumque circa vulneratum emergentium conne-

xorum

xorum collationem, Medicus decernit, talem ejus & plagæ fuiſſe ſtatum, ratione cujus hæc ſanabilis vel inſanabilis extiterit.

Schol. I. Terminos Medicorum technicos verbo vel phraſi vernacula, in parentheſi poſita, Medicus, caſum ad protocollum dans, explicet, ut judici ac teſtibus verborum ſenſus clarus ſit. Quin, peracta ſectione, ſcribæ protocollum a Medico perlegi, utile eſt; ne quid ex hujus incuria omiſſum vel perperam, maxime reſpectu terminorum technicorum, poſitum ſit. Errata ab ipſo ſcriba, teſtibus ac judice adhuc præſentibus, ad Medici monita, corrigenda ſunt; ſic enim ſectionis protocollum & viſum repertum, poſtea a Medico exhibendum, inter ſe, ut decet, convenient.

Schol. II. In ſectionis protocollo totum caſum, ſeu viſa & reperta, complete, ordinatim & diſtincte propoſita eſſe, ſufficit. Judicium vero de læſionum lethalitate dandum, tempore ad meditandum ſumpto, in viſo reperto (in dem Obductionsſchein) demum proponitur.

§. IX.

De inſpectione & ſectione legali *Auctores.* ſententias ſuas auctorum complures protulerunt; quorum nonnullos, ſi lectori unum vel alterum de hac materia evolvere placeat, citabo. *Bernh. Suevi* tr. de inſpectione vulnerum lethalium. Marburgi MDCXXIX. *Gerh. Feldmanni* tr. de cadavere inſpiciendo. Bremæ MDCXCII. *Ern. Tenzel* de judiciali cadaverum inſpectione. Erford. MDCCXXIII. *Geor. Wilh.*

*Dethardin*g de necessaria vulnerum inspectione in crimine homicidii. Rostochii MDCCXXVI. *Geor. Christoph. Plazii* diss. de inspectione & sectione cadaveris in homicidio, ad mentem nonnullorum Jurisconsultorum, non necessaria. Lips. MDCCXXVIII. *Conr. Wilh. Strecker* diss. de fide & legalitate Medici in investiganda vulnerum lethalitate. Erford. MDCCXXXV. *Burch. David. Mauchard* diss. de cadaveris inspectione medico-legali. Tubingæ MDCCXXXVI. *Petri Gerike* diss. de necessaria vulneris inspectione. Helmstad. MDCCXXXVII. *Franc. Conradi* diss. de inspectione cadaveris occisi a solis Medicis peracta vitiosa, nec ad pœnam ordinariam irrogandam sufficiente. Helmst. MDCCXXXVIII. *Jo. Sam. Fr. Boehmer* diss. de legitima cadaveris sectione legali. Halæ Magdeb. MDCCXLVII. *Jo. Godofr. Viselii* diss. de inspectione & sectione legali. Giessæ MDCCXLVIII. *Phil. Conr. Fabricii* progr. quo præcipuæ cautiones & sectiones in perquisitionibus cadaverum humanorum, pro usu fori, exhibentur. Helmstadii MDCCL.



Cap. VI.

De viso reperto.

§. I.

De viso reperto generatim.

In viso reperto (dem Obductions-schein) seu ulteriore Medici & Chirurgi, a quibus inspectio vel sectio

fectio legalis peracta fuit, declaratione, locus & tempus inspectionis vel sectionis, ad eam suscipiendam facta requisitio, judex & testes, qui actui interfuerunt, enumeranda atque citandi sunt, totusque casus, quoad omnia sua varia atque connexa, iisdem verbis ac sententiis, qualia sectionis protocollum continet, repetendus est, nec plura, nec pauciora, nec alia in illo proponenda sunt; si ab unius alteriusve momenti ulteriore declaratione, & judicio de toto casu solide ferendo, recesseris, vid. Dn. D. J. C. Ruefs Unterricht von Criminalfällen, und wie sich ein Arzt in Abgebung seines Gutachtens zu verhalten habe. Nürnberg 1777.

§. II.

Inspectionis.

Post læsorum inspectionem, in viso reperto omnium læsionum conditiones, cum suis connexis, quam accuratissime enumerandæ, & quam spem vel metum faciant, additis rationibus, caute proponendum, nec non de bono malove curationis progressu judex in tempore certior faciendus, &, peracta cura, an unius alteriusve partis vitium, vel actiones quodammodo impeditæ, vel prorsus sublatæ, a sola læsione, vel concurrentibus aliis caussis fuerint; ut judici, justam sententiam definitivam ferre, in promptu sit.

§. III.

Sectionis.

Respectu morte sublatorum in viso reperto ex ipsis læsionibus earumque connexis, non vero ex opinionibus aut hypothesibus, an illæ absolute vel per accidens

lethales fuerint, additis dubitandi ac decidendi rationibus, ſolide ac poſitive pronunciandum eſt; ut & hic firmum ſententiæ juſtæ ferendæ fundamentum judices habeant.

§. IV.

Cautela. Si, omni circumſpectione maximaque diligentia adhibitis non obſtantibus, vel connexis quibusdam, v. c. nimia cadaveris putredine, vel dilaceratione corporis mortui a feris poſt mortem facta &c. accuratam ſectionem impedientibus, facti certitudo erui nequeat; nihil certi pronunciandum; ſed Medicorum atque JCtorum collegiis rei dijudicatio relinquenda eſt. *Jo. Bohnius* in tr. de vulnerum renunciatione p. XI. corporis mortui, inquit, fracedo in accuratiore inſpectione Medicum turbat, interanea putredine corrupta & arroſa genuinam læſionum illatarum conditionem occultant, easque commode evolvi, minus concedunt. Ad ejusmodi cadaveris luſtrationem Medicus nec adigi poteſt, nec, ſi ſub tali cuncta penitius non adverterit, hinc minus exquiſite deponat, imperitiæ vel negligentiæ accuſandus erit. Quin ſi rationes pro & contra militantes ita comparatæ ſunt, ut certi aliquid ſtatui nequeat; ut in mitiorem ſententiam eat, prudentis ac religioſi Medici eſt.

Schol. Actorum protocolla ac viſa reperta Medicus forenſis ſibi ſervet; cum caſus incidere poſſunt, ubi eorum notitia neceſſaria atque utilis eſt; ut jam eorum communicationem cum republica literaria perutilem non longe deducam.

CAP.

Cap. VII.

De collegiorum medicorum responsis.

§. I.

Forensi aliquo casu ab inspicientibus vel secantibus rite investigato pronunciatoque, & judicio de læsione damnoque ab hac relicto, vel de absoluta aut accidentali læsionum lethalitate ex sufficientibus rationibus indubie lato, collegiorum medicorum sententias exquirere, supervacaneum est. Attamen & hoc, ob connexa quædam, caussarum patronis a judice interdum conceditur. *Ubi iis non opus.*

§. II.

Haud raro tamen casus forenses occurrunt, in quibus, ad sententias a judicibus rite ferendas, collegiorum medicorum responsa oppido necessaria sunt, v. c. si casus per se adeo intricatus, vel ob caussas concurrentes tantis tenebris obvolutus fuerit, ut certi aliquid statuere secantes ipsi dubitaverint, dictisque collegiis sententiam dicendi occasionem reliquerint; tunc enim, an res ita se habeat? judex a Medicorum ordinibus informandus est. *Necessitatis casus.*

§. II.

Ad Medicorum ordines ii quoque casus transmittendi sunt, qui, ob inspicientium vel secantium inscitiam vel negligentiam, *Alter.*

tiam, nec rite investigati, nec pronunciati sunt; adeoque visum repertum vitiosum, erroneum, mancum, ambiguum, nec ad facti certitudinem stabiliendam, justamque sententiam ferendam, aptum, nec sufficiens est, vid. b. m. Dn. *Jo. Ern. Hebenstreit* progr. de corpore delicti culpa Medici secantis incerto. Lipf. MDCCXLIII.

Schol. Inspectio, sectio atque depositio per se vitiosæ nullam correctionem admittunt, sed prorsus irritæ sunt. Ubi vero priores ad artis regulas peractæ, in depositione autem vocabula non satis apta vel ambigua posita sunt, vel connexum quoddam uberius evolvendum est; Medicos forenses de his emendandis atque supplendis, ante sententiæ lationem Medicorum collegia recte admonent. *Jo. Bohnius* in tr. de offic. Medici forens. c. IV. p. DCXXVIII. si ex connexis, inquit, de minus accurata vulneris inspectione suspicio oritur; Medicorum collegiis solemne est, ut eos, qui sectionem administrarunt, sub interlocuti seu interpellationis forma, de incongruorum emendatione admoneant, & sententiam decisoriam ad pleniorem informationem usque differant. Idem *autor* in tr. de vulnerum inspectione p. XVII. per quamcunque, ait, caussam vel errorem depositio Medici & Chirurgi imperfectior videatur; haud tamen semper tanti momenti existit, ut lethalitati, si quæ subest, vim omnem ac pondus subtrahat; modo per istam percussionis illatæ conditio, & circumstantiæ lethalitatem inferentes, sufficienter & perspicue annotatæ ac enarratæ fuerint. Secus res se habet, si ex rudiore ejusmodi visitatione

tione de his minus constet, ex quibus sententia de lethalitate ferri debebat.

§. IV.

Tertius. Si Medicorum in casu investigato ac pronunciato dissensus judici dubia movet, incertumque in sententia ferenda reddit; tunc quidem eruditione clarioris usuque exercitatioris effata majorem fidem merentur. Cum tamen & bonus Homerus quandoque dormire possit; ut collegii medici sententia requiratur, præstantius atque securius est. Consimile quid *Bohnius* de offic. Med. forens. L. IV. pag. DXLV. testatur, duobus, inquiens, Medicis in deponendo dissentientibus, neutri, nisi unius eruditio præcellat, major fides adhibenda; sed dissentientium relationes collegii cujusdam censuræ subjiciendæ sunt.

§. V.

Quartus. Ordinum Medicorum responsis probe ponderatis atque accurate datis fides quidem tuto adhiberi potest; ubi autem debitam *ἀκρίβειαν* non adhibitam fuisse, ex sententia lata, actis non, ut decet, respondente, apparet; id quod quandoque fit, si acta non a toto collegio, ut rectius fieri deberet, sed ab aliquo illius, quod referendi ordo tangit, membro, subinde non satis exercitato, perlustrantur & expenduntur; tunc, defensoribus id prudenter & religiose exposcentibus, acta ad alium, quin, re exposcente, ad plures Medicorum ordines transmittuntur. *Joan. Bohnius* l. c. p. DLI. Medico-

dicorum, inquit, collegia etiam adiri solent; si alterius cujusdam collegii sententiam contrariam refellere, necessarium videtur.


§. VI.

Respondendi modus. Cum ad ordinum Medicorum responsa JCtorum collegia atque judices sententiam ferant, atque hic de justitia recte administranda, ut & de fortunis vel capite alterius agatur; ut responsa sua probe ponderata atque accurate exarata sint, collegiorum medicorum Assessores sigillatim & conjunctim procurent: omnes igitur, quibus senior in casus dijudicatione & voto ferendo præire utplurimum solet, tota acta, non autem sectionis protocollum & visum repertum tantum, attente perlegant, atque ex principiis physico-medicis dijudicanda sibi annotent; haud raro enim in testium depositione aliisque connexis talia occurrunt, quæ casui proposito magnum lumen affundunt, atque ad forum medicum utique pertinent. Re ab omnibus probe ponderata, singulorumque votis descripta, ex communi vel plurium consensu sententia decisoria prudenter ferenda, atque a collegii Decano responsum ita exarandum est, ut totam historiam facti, judicium de ea latum, cum dubitandi ac decidendi rationibus, distincte solideque contineat, omnibusque propositis quæstionibus exacte satisfaciat; quo illi judex tuto fidere possit. Responsum ita confectum ab omnibus collegii Assessoribus recognoscatur, subscripto nomine approbetur, & denique, collegii sigillo munitum, judici, vel alii collegium interroganti, tradendum est.

Schol.

Schol. I. In responsis dandis Medicorum ordines rogati prompti sint, nec illa negligenter atque injuste differant; ne in carcere justo diutius detentorum valetudini noceatur, atque iniqua justitiæ, quantocyus administrandæ, mora ponatur.

Schol. II. Datorum responsorum exemplaria in ordinum Medicorum chartophylazio asservanda sunt; ut, si illorum reiterata traditione, inspectione vel defensione opus sit, præ manu sint.



PARS II.

DE JURE MEDICO-CIVILI.



CAP. I.

De ætatum privilegiis.

§. I.

Quævis vitæ humanæ periodus, in qua notabilis virium mentis corporisque mutatio accidit, id quod in singulos septenarios cadere solet, ætas dicitur, quæ in infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, cujus pars consistens ætas virilis est, senectutem atque ætatem decrepitam, dividitur. Ad probandam ætatem ecclesiastico baptizatorum catalogo inter Christianos utuntur; quo deficiente,

Ætatis notio.

te., ex vultu totoque corporis habitu personæ forenses eam probabiliter dijudicant.

§. II.

Pubertas. Inter physica pubertatis signa mutationes quasdam, in corpore humano tum temporis primum accidentes, v. c. majus ejus robur, pubis in utroque sexu, primam lanuginis in epheborum ore, efflorescentiam, vocis in graviorem mutationem, incipientem seminis secretionem, atque in sexu sequiori primam menstruorum eruptionem, referunt.

§. III.

Ejus initium. Pro diversa climatum individuorumque conditione, v. c. in regionibus calidis & subjectis multum valentibus pubertatis terminus acceleratur, in regionibus autem frigidis ac personis imbecillis retardatur; hinc in pubertatis termino definiendo absolutum fere corporis incrementum, acquisitamque naturæ præstantiam Medici respiciunt; quæ in sexu potiori in annum XX. in sequiori in decimum octavum plerumque incidunt; quo tempore etiam suam ossa firmitatem acquisiverunt, eorumque epiphyses in apophyses mutatæ sunt. Secundum jus civile romanum in masculis initium pubertatis in absolutum annum XIV. in feminis in transactum XII. incidit. Plena autem pubertas, secundum idem jus, XVIII. annis absolvitur, vid. Instit. l. I. tit. XI. §. V. & Digest. l. I. tit. VII. §. XL. qui terminus propius cum Medicorum sententia convenit. Cum impuberes, ob insufficientem rerum ac rationis

tionis usum, sui juris non sint; nec privatim, nec publice valide agere possunt. Instit. L. II. c. XII. ne impuberes testamentum faciant; quia nullum eorum animi judicium esset, cautum est.

§. IV.

Ætas majorennis.

Ut in pubertate æstimanda plenarium fere corporis incrementum, sic, in ætate majorenni determinanda, ad mentis dexteritatem respicimus, atque, an quis eo rerum ac rationis usu præditus sit, ut vitæ suæ modum habere, & res suas, quin & negotia publica procurare possit, dijudicamus. Hic tamen individualis juvenum indolès quoque consideranda est; vis enim naturalis menti corporique insita, bona educatio diligensque scientiarum cultura, judicii stabilitatem atque discretionis terminum accelerant; his vero contraria eundem prorogant. Ceteroquin secundum jus germanicum juvenes anno XXV. secundum saxonicum XXI. majorennes pronunciantur. Cum, ob dictas caussas, minorennes sui juris non sint; sine parentum vel curatorum præscitu atque consensu, nec de persona sua, nec fortunis suis, largiri, nec valida cum aliis pacta inire, nec publica procurare possunt.

Schol. Publica armorum traditione, juvenes suos majorennes esse, majores nostri declarabant. *C. Corn. Tacitus* in libro de moribus Germanorum c. XIII. arma, inquit, sumere, non ante cuidam moris, quam civitas suffecturum probaverit: tum in ipso concilio, quod semper armati agebant, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque ornabat.

bat. (machte ihn wehrhafft.) Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos; ante hoc domus pars, mox reipublicæ videntur.

§. V.

Feminarum respectu. Cum sexus sequior, bona indole naturali rectaque institutione accedentibus, æque, ut potior, egregiis animi dotibus præditus sit, illi idem ætatis majorennis terminus poni posset; cum autem negotium menstruum, graviditas, puerperium, lactatio multa in feminarum corpore pathemata producant, occupationes domesticæ plura quoque impedimenta adferant, nec illis erudiendis tanta cura, ut sexui potiori, plerumque adhibeatur; non semper rebus suis stabiliendis administrandisque, nedum publicis gerendis, pares sunt; ne igitur illæ detrimentum capiant, ex juris civilis præscripto curatorum auxiliis juvantur, atque ætatis minorennis privilegiis in foro gaudent. Ill. *Jo. Steph. Pütter* in element. juris germ. privati §. CCCCXVI. ob feminarum, inquit, imbecillitatem earum quædam tutela juris germanici, præsertim in Saxonia superstes est; vi cujus in quibusque mulierum, negotiis civilibus curatoris consensu opus est.

§. VI.

Senium. Pro diversa hominum natura, vitæ genere, laborioso aut deside, cum luxu aut frugalitate acto, ærumnis atque morbis antea toleratis, mentis corporisque vires vel diutius vigent, vel citius decrescunt; hinc non semper ex annorum numero, sed sæpius ex persona-

ſonarum vigore vel imbecillitate, ſenectuti terminus ponendus eſt. Teſte *A. C. Celſo* de medicina l. I. c. I. ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hæc longam juventam reddit.

§. VII.

Vacatio ſenilis.

Quousque igitur mentis corporisque vires perdurant, ad ſolita reipublicæ officia præſtanda, vel illis aut his perſiſtentibus, ad quædam, mentis ſcilicet, vel corporis, vires exigentia, munera ſubeunda, obligati ſumus. B. m. *Herm. Frider. Teichmeyer* in medic. legali p. VIII. ætate, inquit, provectior, mentis tamen corporisque viribus perfecte inſtructus, ſenex dici nequit. Idem *autor* l. c. p. X. in ſenio, ait, conſtituti quoad corpus quidem, non ſtatim tamen quoad rationis uſum, infirmi ſunt. Ubi autem aliquis viribus aut alterutris aut utrisque defectus eſt; vacatio, vel reſpectu quorundam, vel omnium officiorum publicorum, merito locum habet. Senectutis incommoda poſt annum ſexageſimum homines ſentire plerumque incipiunt, ac notabile virium decrementum patiuntur; aliquis tamen naturæ, præſertim mentis, vigor in multis ultra annum ſeptuageſimum perdurare ſolet. Dn. *Teichmeyer* l. c. quando, inquit, ſenes ſenſibus internis deſtituuntur, ad actus civiles inhabiles ſunt. Codicis l. X. tit. XLIX. §. XXX. jure conceſſum eſt, quod, cum quis, ſeptuagenario majorem ſe eſſe, profiteatur, ſi, a nominatione facta, appellationis auxilium interpoſuit, præſidis provinciæ notione ſe tueri poſſit. In-

ſtit. juris l. I. tit. XXV. Major LXX. annis a tutela & cura ſe excuſare poteſt.

Schol. Cum tamen ipſa ſenectus fere morbus ſit, & quodammodo mollius tractari velit; ſenes ad graviores adigere labores, haud convenit; etenim, ſi quilibet tantum nititur, quantum poteſt, id ſatis eſt.

§. VIII.

Termini mortis æſtimatio. Hominum longævorum & vitæ terminum ultra centeſimum annum quandoque protrahentium exempla quidem non deſunt; pauci tamen, ob malam diætam, morborum multitudinem, horum neglectum pravamque tractationem, multiplices injurias externas, varioſque caſus ac infortunia, vitam ad majorem ſenectutis gradum perducunt; ſed potius fatis longe citius cedunt: hinc factum eſt, ad certum hæreditati adeundæ terminum figendum, ut in jure germanico civili abſentes poſt ſeptuageſimum ætatis annum pro mortuis declarentur. Ill. *Jo. Rud. Engau* in element. juris germ. civilis l. I. tit. XXVIII. §. CCCCLXXXII. mortuus, inquit, habetur, cujus vita, propter diuturnam abſentiam, dubia; declaratur vero, a cujus nativitate LXX. anni præterlapſi ſunt, vid. ill. *Ferd. Aug. Hommel* in diſſ. de ſeptuagenario abſente facto quando mortuus præſumatur. Lipſ. MDCCL.

* * *

Cap.



Cap. II.

De gravidarum privilegiis.

§. I.

Noxarum averruncatio.

Cum animi pathemata, inprimis terror & violentia externa gravidarum corpori, maxime utero, illata, embryonem & quandoque etiam matrem simul, perdere possunt; modeste cum illis agendum, nec ulla injuria verbali vel reali afficiendæ sunt, & qui dolose talia damna dederit, gravi pœna afficiendus est. *Jo. Bohnius* de offic. Med. forens. c. VI. pag. DCLIX. aliquando, inquit, accidere solet, gravidas in ventrem percuti, non sine abortus metu, imo ejusmodi fœtus quoque læsionibus, quæ judici conjiciendi & investigandi occasionem ministrent, an non has illi matrem percutiens intulerit, inprimis si in hujus corpore stigmata, livores, calvariæ conquassationes, vasa rupta, atque artuum fracturæ compareant.

§. II.

Graviditas dubia.

Licet graviditatis signa simul sumpta, probeque expensa, artis peritos haud fallant; attamen, cum talium exercitatissimorum artificum copia non ubique detur, molæque in utero detentæ magnam graviditatis speciem, sine ullo mulierum dolo, præ se ferant; si femina gravidam se esse profiteatur vel præsumat, & de feudo consequendo,

hæreditate adeunda, vel alimentis infanti acquirendis quæstio sit; transactæ graviditatis tempus, XXXX. scilicet hebdomadum decursus, recte expectatur, antequam de his judex decernat. Etenim qui in utero est, perinde, ac si in rebus humanis esset, custoditur, quotiens de commodis ipsius partus quæritur. Digest. l. I. tit. V. §. VII. Qui in utero sunt, in toto pene jure civili in rerum natura esse, intelliguntur, iisque legitimæ hereditates restituuntur, l. c. tit. V. §. XXVI. l. XXXVII. tit. IX. vid. cel. *Chr. Gottl. Seileri* tr. quædam partus in utero existentis privilegia exhibens, Marburgi MDCC. recusus Halæ Magdeb. MDCCXXIII.

Obs. Molæ ex depravato conceptu, maxime in feminis ætate provectioribus, in utero ortæ ac succrescentes, graviditatis speciem aliquamdiu præ se ferre, & mulieribus aliisque haud raro imponere, tam notum, quam quod notissimum est, vid. progr. meum de placentarum uterinarum in molas vesicarias mutatione. Giessæ MDCCLXXVI.



Cap. III.

De partu legitimo.

§. I.

Terminus ejus ordinarius.

Novem a conceptione mensibus solaribus (XL. hebdomadibus vel CCLXXX. diebus) vel dum decimus mensis lunaris agitur, consueta graviditatis humanæ duratio absoluta est, ac foetus

tus perfecti exclusio (eines vollbürtigen Kindes) contingit; tunc enim uterus, majorem expansionem haud patiens, fœtum contractione sua expellit. Teste *Hippocrate*, in libro de natura pueri, partus longissimus decimo mense (scil. lunari) contingit, vid. cl. Dni *Mauriceau* tr. de gravidarum feminarum morbis, l. II. c. II. p. CCIV.

Schol. Tempus, quo spatium ab uno ad alterum zodiaci signum sol percurrit, mensis solaris dicitur, & secundum medium motum, XXX. dies, X. horas, XXIX. minuta prima, & V. secunda, continet. Tempus vero ab uno novilunio ad alterum mensis lunaris est, & XXIX diebus, XII. horis, XLIV. minutis primis, III. secundis, & IX. tertiis absolvitur. Vtrumque mensem astronomicum dicunt. Veteres autem, inprimis Græci atque orientales, partui mensium lunarium X. assignantes, hos non prorsus transactos esse, sed decimum agi, indicabant, vid. *Publ. Terentii Adelph.* act. III. scen. V. *Publ. Virgilii Maronis* Bucol. ecloga IV. v. LXI.

§. II.

Termini mutatio.

Ex causis particularibus, v. c. valetudine matris ac fœtus meliore vel deteriore &c. terminum hunc unam alteramve hebdomadem, non autem integros menses, anticipari vel prorogari, experientia docet. *Hippocrates* in libro de partu septimestri & l. II. de diæta textu XIX. fœtus, inquit, interdum serius, interdum maturius nasci potest.

§. III.

Partus præmaturus.

Vehementioribus animi pathematibus, vehementiore abdominis

uterique concussione, pharmacis drasticis, variisque morbis, per graviditatis tempus affecta atque commota mulier partum præmaturum atque non satis excretum, circa septimi mensis solaris finem, aut mense octavo, edere potest, qui legitimus atque vitalis est; licet in utroque, maxime tamen priori, casu, ad eum conservandum permagna cura opus sit. *Joan. Bohnius* l. c. pag. DCXXIX. si solemnis, inquit, & naturalis nascendi terminus finis noni & principium decimi mensis est; sine dubio fœtus, quanto longius ab hoc termino recedit, tanto minus perfectionis, ac virium ad functiones vitales necessariarum, habet. Partus igitur septimestris & octimestris aliquando vitales deprehenduntur; ut ut ambobus hoc rarius eveniat: licet posterior magis vitalis sit, vid. *Joan. Harderi* diss. de partu septimestri JCtorum responsis, & Medicorum placitis, insigni. Lugd. Bat. MDCLXIII. *Valent. Grisingii* differt. de partu septimestri. Wittenb. MDCLXXVII. *Andr. Ottonis Goelicke* diss. qua, partum octimestrem legitimum esse, demonstratur. *Franci de Franckenau* diss. de partu septimestri. Hafniæ MDCCXXX.

Schol. Ex signis suis partus præmaturus facile cognoscitur, justa scilicet statura, corpulentia & viribus non gaudens, parvulus, rugosus, macilentus ac debilis est, nec ejus capilli atque ungues satis excreti sunt, somniculosus est, nonnisi parcum debilemque vagitum edit, &, mammas sugere nequiens, arte nutriendus est.

§. IV.

§. IV.

JCtorum sententia.

Cum *Hippocrates*, in tr. de partu septimestri, ex septimo mense natis quosdam, licet ex multis paucos, superesse, judicaverit, ejus sententiam JCti secuti sunt. Digestorum l. I. tit. V. §. XII. septimo mense nasci perfectum (vitalem) partum, jam receptum est, propter autoritatem viri doctissimi Hippocratis; & ideo credendum est, eum, qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse.

§. V.

Sex mensium partus.

Sexto mense natus pauca quidem a partu vitæ debilis signa edere, sed eam, ob corpusculi imperfectionem, continuare nequit; ergo immaturus, non autem vitalis, censendus est. B. m. *Herm. Frid. Teichmeyer* med. legal. c. IX. p. LX. in fœtu, inquit, immaturo os, nares atque auriculæ minus patent, minusque prominent, ac carnis cruentæ speciem præ se ferunt, fontanella hiat, palpebræ arctius connivent, totaque cutis rubet, pilisque destituitur.

§. VI.

Fœtus maturus debilis.

Fœtus justo partus tempore vivus exclusus, sed ex causis morbificis valde debilis, pro vitali habendus est; licet postea fatis cesserit. Idem de consimili fœtu ex matre mortua exciso censendum est.

§. VII.

A partu mortuus.

Si de fœtu maturo ſtatim a partu mortuo, an vere vixerit, dubitatio oritur; de brevis vitæ ſignis poſt partum obſervatis juratarum obſtetricum teſtimonio fides quædam habenda eſt: ubi vero Medicorum judicium a magiſtratu expoſcitur; ad aliqualem vel plenariam pulmonum a facta reſpiratione expanſionem, eorumque putredine nondum infectorum, natationem in aqua pura attendendum eſt.

§. VIII.

Partus ſerotinus.

Subreptionis vitiis in definiendo conceptionis tempore, aliisque, non tam phyſicis, quam politicis momentis, propoſiti partuum ſerotinorum caſus pendere videntur. Rationes, quas a gravidarum debilitate nonnulli petere ſolent, non adeo firmæ ſunt; cum potius ab illarum imbecillitate partus præcoces accidant, ut b. m. *Chriſt. Gottl. Ludwig* in inſtit. med. for. pr. II. tr. I. c. II. §. CIX. recte monuit. Teſte *Hippocrate* in libro de natura puerorum, textu XXXVIII. & XL. ultra decem menſes (lunares) uterum geſtare nulla femina poteſt. Ubi vero tardioris incrementi fœtus cauſſæ adfuerunt, v. c. mœror, intercurrentes hæmorrhagiæ, aliive morbi, gravidam atque embryonem male afficientes; tunc partus tempus interdum unam alteramve hebdomadem, minime autem integros menſes, differri poſſe, & ſic natos legitimos eſſe, a principiis phyſico-medicis non abhorret. Ceteroquin ob dictas cauſſas viduis, reſpectu partuum ad decimi

mi mensis finem vel undecimi initium protractorum, juris consuetudines favent. At partuum ad menses undecimum, duodecimum atque decimum tertium exactos protractorum allata exempla ficta, nec attendenda esse, credimus, vid. *Laur. Heisteri* diss. de partu tredecimestri legitimo, Helmst. MDCCXXVII. *Wilh. Bernh. Nebel* diss. de partu tredecimestri legitimo, Heidelb. MDCCXXXI. *Mich. Alberti* diss. de partu serotino, Hal. Magd. MDCCXXIX. *Jo. Wolfg. Kippingii* diss. de partu dubio, quem vidua intra dies lugubres enixa est, Helmst. MDCCXLIV. *G. Christ. Arnoldi* tr. de partu serotino.

Schol. Embryonum mortuorum plures annos in utero retentorum exempla huc non quadrant, nec ab illis, ad partum fœtus vivi ultra consuetum tempus protractum, conclusio valet. Mortui fœtus triennium in utero retenti & in matre febrem habitualem producentis, hujusque, post artificialem illius protractionem & materiæ putridæ excretionem, iterum sanatæ, casus in praxi clinica sese mihi obtulit, vid. *Jo. Camerarii* diss. de casu rarissimo fœtus XLVI. annorum, Tubingæ MDCCXX.



Cap. IV.

De primigeno, partu supposititio & superfœtatione.

§. I.

In geminorum ac trigeminorum partu quandoque, ob jura conse- *Primigenus.*

quenda, quis illorum primo editus sit, attendendum, atque statim signandus est; neglecta enim hac cautela, neque ex animi præstantia, nec corporis habitu, vel ex aliis signis certi quid de primogeniti jure statui potest, vid. *Jac. Thomasii* diss. de jure primogeniti. Lips. MDCLVII.

§. II.

Partus supposititius. Fœtui supposititio legitimi jura minime competunt; suborta igitur fictæ graviditatis suspicione, illis, quorum respectu hereditatis aliorumve jurium interest, in graviditatem inquirendi, partumque observandi, atque in illum inquirendi, potestas concedenda est, vid. *Gotth. Burch. Struv.* de partu supposititio & custodia corporis feminarum illustrium. Jen. MDCCXXXII.

§. III.

Partus signa. In ipsa puerpera partus ante breve tempus peracti signa, v. c. vaginæ uteri ampla ac brevis, os uteri dilatatum, lochiorum fluxus, mammæ lacte copioso turgidæ, faciei pallor atque abdomen rugosum reperiuntur; in quæ ab artis peritis juratis, brevi a partu, inquirendum est. Fœtus recens editi umbilicus etiam testimonium perhibet. Ubi vero diu post partum de fœtu supposititio suspicio demum oritur, neque in matre, neque in infante certa atque indubia facti signa supersunt.

§. IV.

Superfœtatio. Licet Hippocrates in libro de superfœtatione hanc in iis subjectis, quorum

rum uteri orificium, post conceptionem priorem, aliquo modo apertum maneat, possibilem esse perhibeat; illi tamen calculum meum adjicere, hæreo; cum uteri orificium post impraegnationem claudi constet, ejusque cavum embryo cum secundis suis repleat; nec observationes de illa indubie testantes adsint, vid. *Wilh. Huldr. Waldschmidii* progr. de superfoetatione. Kiloniæ MDCCXXV. *Ejusd.* diss. de superfoetatione falso prætensa. Hamb. MDCCXXVII. *Joh. Phil. Grauel* conjecturæ de superfoedatione, Argent. MDCCXXXVIII. *I. D. Nallinger* diss. epist. qua, an detur superfoetatio? disquiritur. Gryphsw. MDCCXLVIII. *C. I. Erichii* diss. de superfoetatione in simplici utero haud possibili. Altorf. MDCCLXX.

****

Cap. V.

De deformibus, monstris ac hermophroditis.

§. I.

Deformes. Foetus humani male conformati & mutili ut ægri considerandi, nec juribus suis privandi sunt; id quod etiam de bicorporeis valet. Digestorum l. I. tit. V. §. XIV. partus, qui humanorum membrorum officia ampliavit, aliquatenus videtur effectus; & ideo inter liberos connumerabitur. Respectu horum, an pro uno, vel duplici, homine habendi sint? quæstio præter ea incidit. Si igitur coalitus tantus sit, ut non nisi quædam vel omnes extremitates duplices adsint, & talis uno ore nutriri possit; tunc prius

prius locum habet. Ubi vero levior tantum duorum hominum coalitus, duplices animorum corporumque actiones, quandoque etiam duplex genus insuper, observantur, ac singulari nutritione quilibet opus habet; tunc duorum hominum jura illis competere arbitror, vid. cel. *Jo. Jac. Huber* de monstris, Cassell. MDCCXLVIII.

Schol. I. Ex duplici unius ovuli feminei impraegnatione monstra bicorporea, quoad omnes vel quasdam partes talia, ortum sumere, autumo; uno enim involucro contenta, una placenta, uno funiculo umbilicali, licet crassioribus, vel simili ratione inter se concretis, gaudere solent; nec Chirurgis, duo corpora mollia, diu contigua, facile inter se concrescere, ignotum est.

Schol. II. Fœtuum sine capite & cerebro natorum, quibus monstrorum nomen proprie competit, tamquam non vitalium, exempla huc non pertinent, vid. Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1701. pag. 120. 1740. pag. 811. 1741. p. 665. Acta medica *Berol.* dec. I. vol. VIII. p. VIII. b. m. *Jo. Henr. Schulze* diss. de infante sine cerebro nato, Halæ Magd. MDCC. XLIII. *Alb. de Haller* progr. de fœtu humano septimestri sine cerebro nato, Gœttingæ MDCCXLV.

§. II.

Bicorporeorum exempla.

Gemellorum masculorum inferioribus trunci partibus concretorum casus a Dn. *du Vernay* in actis Acad. Regiæ Scient. anni 1706. p. 538. relatus est. Duarum pupparum pectore & regione epigastrica coalitarum exemplum in ejus-

ejusdem Academiæ actis 1742. p. 182. legimus. Duorum masculorum leviter concretorum casum Dn. *Lud. Mich. Dietrich* in diss. de fratribus Italis ad epigastrium connatis, Ratisb. MDCCXLIX. edita, proposuit. Gemellorum masculorum nonnisi abdominibus concretorum casus in actis medic. *Berol.* dec. II. vol. VI. pag. LXVIII. & alius de fœtu bicorporeo utriusque sexus l. c. pag. LXIX. propositi sunt. Plura exempla ab autoribus sequentibus enarrata sunt: *Mich. Heiland* monstri Hassiaci disquisitio, Giessæ MDCCLXIV. *Jo. Jac. Waldschmidii* diss. de caussa partus monstrosi, occasione fœtus bicorporei nuperrime nati, Marb. MDCLXXXIV. *Mich. Ernst. Ettmuller* de monstro Hungarico, Lips. MDCCVII. *Jo. Joach. Schœpferi* diss. de gemellis concretis, Rostoch. MDCCIX. *Balth. Jo. de Buchwald* historia monstri gemelli coaliti, Hafniæ MDCCXLIII. *Conr. Christel* diss. de partu gemellorum coalitorum, Argent. MDCCLI. *Albert. de Haller* diss. qua duorum monstrorum anatome, & de caussis monstrorum disquisitio, exhibentur, Gœtt. MDCCXLII. *Ejusd.* progr. quo suam de monstris sententiam, contra objectiones Lemeryanas, novis argumentis defendit, ib. MDCCXLV. *Ejusd.* progr. de monstrosis fabricis observationes continens, ib. MDCCLIII.

§. III.

Hermaphroditi.

Utrumque sexum monstra bicorporea, rarius tamen, exhibuisse, experientia docuit; at in individuis, ut nonnulli perhibuere, illum locum habere posse, haud arbitror; sed feminæ, clitoride protuberante

te præditæ, tales falso creditæ sunt. Attamen partes genitales in utroque, maxime potiore, sexu quandoque male conformatas ac vitiosas esse, facile concedo. Decisioni Digestorum l. I. tit. V. §. X. latæ opinio illa occasionem dedit, quæ sequentem in modum pronunciata est: quæritur, hermaphroditum cui comparemus? & magis puto, ejus sexus esse æstimandum, qui in eo prævalet.

Obs. In puero sexenne partium genitalium defectum, atque earum loco in ima ventris parte corpusculum quoddam, glandis penis inversæ speciem quodammodo referens, & inter hoc atque regionem umbilicalem tumorem inæqualiter rotundum, subrubrum, ex cujus ima dextraque parte lotii fœtidi guttulæ sensim stillabant, observavi; quem casum testis ocularis, Dn. *D. Geor. Boesefleisch*, actis Acad. Electoral. Mogunt. tom. II. pag. CCCCXXXI. Erfordiæ MDCCLXI. editis, inseruit & figura expressit.

****

Cap. VI.

De excusationibus, ob mentis & corporis morbos, locum habentibus.

§. I.

Mente capti. Cum, ob morbosum encephali statum, rectum sensationum atque rationis usum mente capti non habeant, sed potius phantasmata sua cum illis confun-

fundant; actiones liberas utilesque præstare nequeunt, sed sibi aliisque noxii sunt; hinc tam personarum suarum tutore, quam rerum suarum curatore, opus habent; nec, durante morbo, sui juris esse possunt.

§. II.

Pacisci nequeunt.

Pacto valido rectam rationem, veram rerum dijudicationem liberamque voluntatem supponentes; maniaci ac furiosi, his omnibus destituti, nullam pacti speciem valide inire, nec ad promissa servanda jure adigi possunt; sed potius omnia cum illis acta irrita sunt; ergo promissio, donatio, locatio, conductio, oppignoratio, alienatio, stipulatio, fidejussio, aliæque pactorum species, in illos prorsus non cadunt. Instit. juris l. III. tit. XX. furiosus nullum negotium gerere potest; quia non intelligit, quid agit.

§. III.

Aliena curare nequeunt.

Cum nec personæ suæ, nec fortunarum suarum mente capti curam habere possunt; multo minus officio publico præesse, vel privatas aliorum res procurare, aut ulli negotio recte se immiscere queunt. Instit. juris l. II. tit. X. ne furiosus testis sit, cautum est.

§. IV.

Testari nequeunt.

Nec testamentum facere, aut fidei cujusdam aliquid committere furiosorum est. Instit. l. II. tit.

XVIII.

XVIII. ſi teſtator furioſus fuerit, teſtamentum nullum eſt. Cum autem deliria acuta ſuas quandoque intermiſſiones, & mania intervalla ſua lucida, quandoque ſatis prolixa, habeant, & in utroque caſu mens illis redeat; tunc, adhibito uno alterove Medico aliisque teſtibus ſufficientibus, teſtamenti factio & fidei commiſſio utique locum habere poſſunt. Inſtit. l. II. tit. XII. de teſtamentis ordinandis: furioſi, teſtamentum facere non poſſunt; niſi per id tempus illud fecerint, quo furor illorum intermiſſus eſt.

§. V.

Imbecilli a tutela liberi.

Cum natura vel ſenio imbecilli, & cum longa vel perpetua valetudine adverſa conflictantes, ſufficientem rerum ſuarum curam habere nequeant; neque tutoris, neque curatoris officio onerandi ſunt. Inſtit. l. I. tit. XXV. de excuſationibus tutorum vel curatorum: propter adverſam valetudinem, ob quam ne ſuis quidem negotiis quis intereſſe poteſt, a tutela & cura vacationem habet.

§. VI.

Ab officiis publ.

Ad officia publica rite procuranda & mentis & corporis viriumque integritas requiritur; ſi ergo morbus iſtam vel in totum vel ad tempus abſtulerit, v. c. ſi quis cœcus aut ſurdus ſit, vel poſt apoplexiæ inſultum vocem, memoriam, & [illegible] ipſo rationis uſum, perdiderit, paralyticus manſerit, aut chronico articulorum morbo ac rigore vel epilepſia laboret: aut ad tempus febre acuta,

acuta, nimiis ſanguinis vel ſeri profluviis, aliove morbo gravi affectus ſit, vacatio a negotiis publicis perpetua, vel temporaria, nimirum uſquedum cum valetudine ſecunda in gratiam redierit amiſſasque vires recuperaverit, illi merito concedenda eſt. Codicis l. X. tit. L. §. I - III. qui ea cœcitate oppreſſus eſt, ut utriusque oculi aciem prorſus amiſerit, levamentum perſonalium munerum ſentiet. Cum auriculari morbo quis debilitatus eſt, juxta juris publici autoritatem a perſonalibus muneribus vacationem habebit. Podagræ valetudo ad perſonalium munerum excuſationem non prodeſt; verum cum quis pedum valetudine ita afflictus ſit, ut rebus propriis inceſſum dare non poſſit, Magiſtratus, ſi allegationibus tuis fidem adeſſe perſpexerit, ad perſonalia munera te vocari, non patietur.

§. VII.

A foro.

Morbi graves, cauſſæ meditationem, atque loci mutationem impedientes, ægrotum in jus vocari, aut judici in tempore præſcripto ſiſti, haud ſinunt; ſed cauſſa eo usque differenda eſt, uſquedum morbus profligatus, & convaleſcens rebus ſuis agendis iterum par ſit. Inſtit. juris l. IV. tit. X. Morbus & ætas, & neceſſaria peregrinatio, itemque aliæ multæ cauſſæ ſæpe hominibus impedimento ſunt, quo minus rem ſuam exequi poſſint. Sed in talibus caſibus morbi exiſtentia demonſtranda, nec fingenda eſt, &, ne ejusmodi fictionibus patrocinentur atque teſtimoniis, temere datis, illis veritatis ſpeciem præbeant, Medici caveant, vid. *Jo. Henr. Bergeri* diſſ. de ægrotorum privile-

giis, Wittenbergæ MDCLXXXVII. recusa MDCCXLIV.



Cap. VII.

De morborum simulatione & dissimulatione.

§. I.

Morborum æstimatores. Cum de vera morbi existentia, simulatione vel dissimulatione certum esse, tam in foro civili, quam ecclesiastico & criminali, judicis intersit, & morborum dijudicatio non, nisi ex signis suis propriis, peti possit; eorum investigationem Medicis, tamquam artis peritis, judex committere potest ac debet.

§. II.

Eorum dijudicatio. In morbo examinando non solum ille ipse, sed & omnia connexa, in persona illum profitente, accurate ponderanda sunt, & ficti morbi historia cum illa, quæ vero morbo propria esse solet, diligenter conferenda, atque, an omnia signa pathognomonica adsint, nec ne? dispiciendum est. Teste *Jo. Bohnio* in tr. de officio Med. forens. p. DCLXXXV. morborum simulatorum a veris discretio singularem sagacitatem & ingenia postulat; quorum forsan potiora sunt, non festinare, ejusmodi homines non semel, sed frequentius, visitare, eorumque actiones & sermones accuratius

ratius attendere, teſtibus vero imperitioribus & quacunque ratione ſuſpectis parum vel nihil fidei adhibere. Digeſtorum l. I. tit. XVIII. §. XIII. in perſona ejus, qui homicidium admiſit, excutiendum eſt, utrum, ſimulato furore, id admiſerit, an re vera compos mentis non fuerit; ut, ſi ſimulaverit, plectatur; ſi furat, in carcere detineatur.

§. III.

Morbi ſimulati.

Dantur morbi, v. c. febres, qui nullam ſimulationem admittunt, aliorum autem ſpeciem veteratores ſatis callide præ ſe ferre poſſunt. Præ aliis vero dolores, aphonia, ſurditas, melancholia, mania, epilepſia, paralyſis, obſeſſio, atque ulcera, ſimulari ſolent.

§. IV.

Simulationis cauſſæ.

Plures dantur cauſſæ, propter quas vafri homines ac fraudulenti morbos ſimulent, v. c. pigri, ut labores publicos aut privatos aliquamdiu vel ſemper devitent, juvenes, ut militiam detrectent; mendici, ut eleemoſynas aucupentur; in jus vocati, ut comparitionem coram judice declinent; parum læſi, ut noxam ſibi illatam exaggerent majoremque ſatisfactionem extorqueant; facinoroſi, ut torturam, vel majorem ejus gradum, quin & pœnam, effugiant. Sed cum illi hiſtoriæ morborum ignari ſunt, eorum ſymptomata totamque indolem non tam accurate ſimulare, atque ad quæſtiones propoſitas tam ſcite reſpondere poſſunt, ut Medicis probe exercitatis atque judicio pollentibus fucum facere queant, vid.

Jo. Bapt. Sylvatici tr. de iis, qui morbum ſimulant, deprehendendis, Mediolani MDXCV. *Polycarpi Schacheri* de epilepſia ſimulata, Lipſ. MDCCXXXII. *Mich. Alberti* diſſ. de melancholia vera & ſimulata, Halæ Magd. MDCCXLIII. *Rud. Auguſtin. Vogel* diſſ. de morbis ſimulatis, & quomodo eos dignoſcere liceat, Gœttingæ MDCCLXXII.

§. V.

Diſſimulationis cauſſæ.

Morbi turpes, v. c. venerei & contagioſi, ſcabies, lepra, cancer, nec non chronici atque periodici miſerabiles v. c. ulcera fiſtuloſa & cacoëthea, catalepſis, epilepſia, tetanus, emproſthotonus, opiſthotonus, ſpasmi rigidi particulares, cum mentis alienatione conjuncti, melancholia ac mania periodicæ &c. diſſimulari ſolent, ne eorum divulgatio ægrotorum famæ aut rebus officiat. Quorundam autem morborum periodicorum inveſtigatio non adeo in promptu eſt, nec uno eodemque tempore, ſed longiore & crebrioribus inquiſitionibus, abſolvi poteſt, eorumque declaratio non niſi recto tempore locoque fieri debet, vid. *Car. Frid. Lutheri* diſſ. de morbis ſimulatis ac diſſimulatis, Kiloniæ MDCCXXVIII. Cel. *Ern. Godofr. Baldingeri* de morbis diſſimulatis, Gœtt. MDCCLXXIV.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

Cap. VIII.
De mala medendi ratione.

§. I.

Erronea inculpatio.

Si morborum atque læſionum cauſſæ atque effectus tolli nequeunt, adeo-

adeoque per se lethales sunt, aut si ab initio adeo neglecti aut mala curatione & consimili diæta adeo exasperati sunt, ut nulla rationalis cura locum amplius habeat; Medici atque Chirurgi, ob irritam curationem atque lethalem morborum eventum, immerito culpantur, ac medentium fama contra ejusmodi stultorum inculpationes atque criminationes defendenda, aut hæ, tamquam futiles a Medico docto, stabilitaque bona fama gaudente, susque deque habendæ sunt. *Plato* l. IX. de re publica, Medicus, inquit, si is, qui curatur, eo invito, moritur, secundum leges purus est.

§. II.

Malitiosa.

Non desunt mali feriati homines, qui, vel mala mente atque invidia ducti, vel ut justo Medicos atque Chirurgos sostro defraudent, morbi minus perspecti atque malæ curationis, illos malitiose insimulant. In utroque casu, si lis ad forum delata, vel illuc, ob bonam famam conservandam, deducenda est, malitia atque invidia detectis, vera morbi descriptione, errorum ab ægroto aliisque admissorum enumeratione, auxiliorum a se ad rectam indicationis normam adhibitorum demonstratione, famam suam coram judice medentes defendere possunt, & judex, non pro lubitu suo, sed impartiali Medicorum ordine consulto, ut justam sententiam ferat, par redditur.

Schol. Medicorum atque Chirurgorum defensio tanto magis in promptu est, si, productis pharmacorum a se præscriptorum formulis, cum in finem in archetypis vel apographis in pharma-

copolio asservandis, suam medendi methodum morbo atque artis regulis consentaneam, adeoque rationalem atque inculpabilem fuisse, demonstraverint. Quæ a me de conscribendo curationum notabiliorum privato protocollo, evitandis malevolorum Medicorum calumniis, atque de dispensationis Medicorum privatæ incommodis, in politia medica §§. XXII. & LXXII. dicta sunt, ad avertendas ejusmodi lites maximopere faciunt.

§. III.

Vera. Ubi vero a medentibus, ob inscitiam, negligentiam, temeritatem aut dolum in medicina facienda errores commissi, aut crimina patrata sunt, v. c. si ægroti curæ eorum crediti ab illis neglecti, ex inscitia vel temeritate pharmaca drastica & noxia data, adeoque per aliorum damna ac mortes experimenta frivole capta, fuerunt; erroneæ atque temerariæ ejusmodi curationes ab impartialibus artis peritis excutiendæ, &, pro re nata, gravi mulcta, remotione ab officio, carcere, exilio &c. a judice vindicandæ sunt. Instit. juris l. IV. tit. III. §. VII. & VIII. si Medicus, qui aliquem secuerit, dereliquerit ejus curationem, & ob id aliquis mortuus fuerit, culpæ reus erit. Imperitia quoque culpæ annumeratur; veluti si Medicus ideo aliquem occiderit, quia male eum secuerit, aut perperam illi medicamentum dederit. Digestorum l. I. tit. XVIII. §. VII. hæc lex data est: sicuti Medico mortalitatis eventus imputari non debet; ita, quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. Prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo hominis innoxium esse non debet.

§. IV.

§. IV.

Quodſi accidat, ut a medente ſcelerato venena data, vel alia artis ſuæ inſtrumenta in aliorum perniciem conſulto adhibita fuerint, de eo, ut quolibet alio vitæ hominum inſidias ſtruente, quæſtio habenda, &, crimine detecto, capitale ſupplicium ſumendum eſt; quæ tamen ſcelera non ad forum civile, ſed criminale pertinent. *Nemeſis Carolina* l. c. definit: Wenn ein Arzt ſolche Tödtung vorſetzlich gethan hat; ſo iſt er, als ein vorſetzlicher Mörder, zu beſtrafen. *Crimina medentium.*

§. V.

Cum empirici, in re illicita verſantes, pharmaca draſtica ac nociva, aliis, cum valetudinis damno vel vitæ jactura, culpoſe vel doloſe exhibuerint, in illos, caſu rite inveſtigato, ut res ipſa fert, graviter animadvertendum eſt. In *Nemeſi Carolina* §. CXXXV. hanc de ea re legem habemus: So ein Arzt aus Unfleiß oder Unkunſt, doch unvorſetzlich, Jemand mit ſeiner Arzeney tödtet; ſo ſoll er, nach Erfinden der Arzeneygelehrten, Geſtalt der Sachen und Rath der Verſtändigen, geſtraft werden. In dieſem Fall ſoll man allermeiſt auf leichtfertige Leute Achtung haben, die ſich der Arzeney unterſtehen, und ſie mit keinem Grund gelernt haben. Excuſationis autem momenta, quæ ex phyſicis medicamentorum qualitatibus atque effectibus, experientia & ratione cognitis, deduci poſſunt, ut Medicum peritum prorſus excuſant; ſic, in ſiniſtro curationis ab empirico inſtitutæ eventu, pœnam admodum mitigant. *Reſpectu empiric.*

Cap. IX.

De mala pharmacorum conditione.

§. I.

Simplicium.

Cum recta pharmacorum simplicium conditio, ut scilicet genuina, optimæ notæ, atque incorrupta sint, ad salutarem effectum spondendum absolute requirantur; sic, ubi pharmacopœus, ob ignorantiam deceptus, vel avaritia ductus, spuria, adulterata vel malæ notæ coëmerit, vel ex negligente asservatione ea corrumpi siverit; adeoque æs suum emtores non solum male collocarint, sed & ægroti spe sua exciderint, atque salutari effectu privati fuerint; pharmacopœus, errore vel fraude per artis peritos detectis, non solum publica ejusmodi malarum ac invendibilium mercium ablatione, sed etiam, si dolus accesserit, graviore mulcta & pœna afficiendus est.

§. II.

Compositorum.

Ut pharmaca composita ad præscriptas formulas quam accuratissime præparata sint, finis, illorum usu obtinendus, sine dubio exigit: ubi igitur, ex pharmacopœi vel sociorum illius inscitia, negligentia aut dolo, perfunctoria aut male administrata vel cariora in compositione omissa, & viliora aut inepta, vel scopo prorsus contraria, substituta fuerint, ita, ut inde resultans pharmacum

cum debitis qualitatibus ac viribus minime gaudeat: ejusmodi inutilia, quin noxia pharmaca secundum artis regulas ſcrutanda ac removenda, atque in rudes, negligentes ac fraudatores, pro rei indignitate & noxa, animadvertendum eſt.

§. IV.

In illa inquiſitio.

Si de malis ejusmodi medicamentis lis orta atque ad forum delata eſt, illa ipſa, tamquam corpus delicti, actis adponenda ſunt; ut Medicorum ordinibus, ſententiam dicturis, in illa ſecundum artis regulas inquirere, integrum ſit; ſola autem inculpatio privataque illorum dijudicatio in foro haud ſufficit. Quæ in politia medica §§. XXVII. & XXX. de illicita pharmacorum ſubſtitutione, atque de pharmacopœorum ſociis jurejurando obligandis, a me prolata ſunt, his erroribus ac fraudibus avertendis inſerviunt.

§. V.

Culpoſa ſubſtitutio.

A pharmacopœorum diſcipulis, innocuorum medicamentorum loco, draſtica, quin deleteria, ex ignorantia quandoque data eſſe, triſtis experientia docuit. Illos a pharmacorum diſpenſatione, donec artis pharmaceuticæ ſufficienter gnari ſint, atque prudenter & caute agere didicerint, prorſus arcendos eſſe, in conſtitutionibus politico-medicis cautum eſt. Ubi igitur ex tali incuria contra has, cum alicujus vel ſanitatis vel vitæ jactura, peccatum eſt, culpa ac pœna in ipſum pharmacopœum, talia non impedientem, maxime recidit, vid. *Benanci* declaratio fraudum

atque errorum apud pharmacopœos commissorum, Francof. MDCLXXI. Eckhards ungewissenhafter Apothecker, Augsburg 1700.

****

Cap. X.

De medentium sostris.

§. I.

Sostri solutio. Cum cujuslibet in arte quadam acquisita dexteritas & opera aliis rite præstita, ad τὸ suum pertineat; personis medicinalibus, ob auxilium aliis præstitum, sostrum persolvere, justum & æquum, ejus autem totalis vel partialis denegatio iniqua est. Hic vero non de legibus politico - medicis ejusmodi sostra decernentibus, sed de litibus illa respicientibus atque ad forum deductis, nobis sermo est; accidit enim, ut sanati, vel defunctorum heredes, de iniquis medicinam facientium postulatis querantur, vel hi de ingrato illorum animo, denegataque justi honorarii solutione, querelas instituant, & in utroque casu recta litis ventilatione ac decisione opus est.

§. II.

Ejus determinatio. Si medentes ab iis, quorum curam habuerunt, vel ab eorum heredibus, postulati nimii inculpantur; ab artis peritis lis secundum leges medicopoliticas provinciales, vel, his de dato casu silentibus, extraneas æstimanda, atque dein justi aliquid

quid a judice ſtatuendum eſt. In poſtulatis autem ſuis perſonas medicinales iniquas eſſe dedecet, & ejusmodi actionum injuſtarum ne quidem ſuſpicio in Medicos prudentes ac juſtos cadere debet. Ubi vero æquitatis limites ab uno alterove temere transgreſſi ſunt; poſtulatum ab impartialibus artis peritis moderandum, atque ejusmodi avaritia ac injuſtitia puniendæ ſunt.

§. III.

Denegationis cauſſæ.

Ob malam medendi rationem probatam, vel impium ægroti neglectum, Medicos ſoſtro excidere, quin & culpoſos pœnas dare, juſtum eſt. Ubi vero rerum ſuarum perſonæ medicinales fategerint, morbi adeo ſontici fuerint, ut nullam curationem admitterent, atque ægroti culpa ſua, vel fato ſuo, perierint; illis ſoſtrum æque redit, ac ſi ægroti convaluerint.

§. IV.

Deciſio.

Ubi Medicos atque Chirurgos ignorantiæ, morbi protracti, aut male tractati, vel negligentiæ, curati vel mortuorum heredes injuſte inſimulant atque accuſant, ut illos honorario privent famamque eorum ſimul lædant; lis, morbi indole ac duratione laboribusque a medente præſtitis probe *penſitatis atque* cum politiæ medicæ legibus *comparatis, perpenſisque* ſimul ægri fortunis, ab artis peritis impartialibus æſtimanda, atque ſecundum illorum effatum a judice decidenda, ac ſimul malus ejusmodi dolus puniendus eſt.

§. V.

§. V.

Sostri locatio. In suborto de mortui fortunis creditorum concursu, in sostro pro ultimi morbi tractatione accipiendo reliquis creditoribus personæ medicinales præferuntur. In morbis acutis sostrum hoc facilius, quam in longis, determinari potest; semper tamen ad ultimi morbi qualitatem, durationem, exantlatos Medici atque Chirurgi labores, connexaque externa, in illo definiendo respiciendum est. Ubi vero ex præcedente quodam morbo, vel susceptam viduæ vel liberorum curam medentes sostrum postulant, in pari numero cum reliquis creditoribus habentur.



Cap. XI.

De creditorum pharmacorum pretio.

§. I.

Lites de pharmacis. Circa pharmaca ægrotis a pharmacopœo credita quæstiones incidere solent: I. An tanta copia, quæ in rationum catalogis indicata est, tradita fuerint? II. An æquo pretio æstimata, vel justo cariora sint? In utramque, vel alterutram hanc quæstionem ab artis peritis impartialibus inquirendum, atque, secundum eorum pronunciationem, lis a judice decidenda est.

§. II.

§. II.

Rationum libri pro documento.

Si quis ſine præſcriptis a Medico formulis, propria autoritate pharmaca ſimplicia innocua, aliasve merces, ex pharmacopolio, ſine numerata pecunia, ſumſerit, ſubortis de illorum facta traditione litibus, hæ ex rationum pharmaceuticarum libro, jurejurando ſi opus ſit, confirmando, dirimenda ſunt; nam in ejusmodi caſibus pharmacopœo idem jus, quam aliis mercatoribus, competit.

§. III.

Formulæ.

Longe autem alia res eſt, ſi tertius interceſſerit. Ubi ergo a Medico, qui ægroti alicujus curam habuit, medicamentorum formulæ præſcriptæ ſunt, hæ, pharmaca utique tradita eſſe, pro documento ſunt, easque pharmacopœus tamdiu ſervat, usque dum illorum pretium ſolutum ſit. Hoc vero accepto, apographis prius factis, emtori, in ſolutionis teſtimonium, reddendæ ſunt; ne forte, medicamentorum conſignatione in rationum pharmaceuticarum catalogo non expuncta inſciis pharmacopœi heredibus non factæ ſolutionis documentum ſint.

§. IV.

De jure tertii.


Si præter ea pharmacopœi poſtulata jus tertii reſpiciunt, v. c. ubi poſt vulnerati curationem ſumptus ab aggreſſore ferendi, vel in pauperes expenſa pharmaca ex ærario publico ſolvenda ſunt; tum pharmaco-

maco-


macopœum medicamenta fine præfcriptis a Medico vel Chirurgo publico formulis tradere, eaque in rationum catalogo confignare, illicitum eft; fed potius perfonæ, tempus & locus ab ipfo Medico vel Chirurgo, vel, fi id neglectum fuerit, a pharmacopœo fub formulis notanda funt: fecus agentes in fublestæ fidei fufpicionem incidunt, nec in foro fides adhibetur ejusmodi rationum catalogis.

§. V.

Pretii dijudicatio. Secundum taxam publice approbatam pharmacorum æftimantur pretia. Ubi igitur de his inter venditorem atque emtorem ambigitur; rationis pharmacorum defignatio ab artis peritis, neutri parti addictis, fecundum illam excutienda eft; quem in finem non folum in exhibito rationis medicamentorum catalogo, quantum & quale datum fuerit, ufitati quoque in difpenfatoriis pharmacevticis, non autem inconfueti & huic vel illi Medico tantum proprii pharmacorum tituli, exprimenda funt; fed etiam, ubi lege agi cœptum eft, actis præfcriptæ a medentibus formulæ eum in finem apponendæ funt, ut fententiam laturi firmum fundamentum, ex quo juftum medicamentorum pretium conftitui poffit, habeant.



PARS



PARS III.

DE JURE VETERINARIO-CIVILI.



Cap. I.

De morborum ac mortium in pecudibus dijudicatio.

§. I.

Manca investigatio.

Cauſſæ circa quadrupedum, quæ gregatim paſcuntur, morbos mortesque actæ, & ſpeciatim equini, bovilli, ovilli atque ſuilli generis ſecundum hippiatrorum, lanionum juratorum, opilionum & ſuariorum, carnificum, horumque ſervorum, veterinariam & anatomiam comparativam uſcunque profitentium, eſſata hactenus a judicibus plerumque deciſæ ſunt. Quam rudes vero illorum plurimi tam in morborum dijudicatione ac curatione, quam in accuratiore anatomia comparativa, adeoque etiam in eruendis mortium cauſſis ſint, in politia med. §§. CIX. & CXX. a me ſatis demonſtratum eſſe autumo. An igitur horum eſſatis juſtitiæ ſatis proſpectum ſit, ipſi judices videant! Nec ſolæ leges veterinario-forenſes, ſatis ceteroquin ut plurimum commodæ, hic

hic sufficiunt; sed physico-medica facti certitudine inprimis opus est, quam nemo, nisi anatomiam comparativam atque medicinam veterinariam probe callens, præstabit. Ex quibus, in re publica bene ordinata, diligente artis veterinariæ cultura quam maxime opus, sumptusque in illam erogatos optime collocatos esse, satis elucet.

Obs. In casibus brutorum mortes concernentibus, dijudicationi meæ oblatis, carnificum judicia modo non semper saniora, quam muliatrorum vulgarium atque lanionum inveni; cujus rei ratio facile apparet, cum illi brutorum morbo extinctorum sectiones rogati ac remunerati suscipiant; hi vero eam, tamquam famæ suæ noxiam, aversentur. Ejusmodi autem sectiones sub Medici anatomiam comparativam artemque veterinariam profitentis moderatione factæ tanto accuratiores & fide digniores sunt.

§. II.

Leges. De brutorum morbis ac mortibus, venditionem illorum vel ratam vel irritam facientibus, leges in plurimis provinciis a summo Magistratu latæ sunt; ut fundamentum, secundum quod in casibus obviis sententiam ferant, judices habeant. Leges hæ quoad maximam partem inter se quidem conveniunt, respectu quorundam momentorum quandoque tamen inter se discrepant. Nos leges veterinario-forenses, in Hassia superiori Darmstadina, & in comitatu Hanovico-Lichtenbergensi, serenissimæ Domui Hassiacæ subjecto, datas pro fundamento assumsimus, cum quibus provinciarum vici-

vicinarum leges sic satis conspirant. Sui populi leges huc spectantes tam Medici, quam Judices evolvere, atque cum nostris conferre, facile poterunt. Si venditor atque emtor diversarum ditionum incolæ sunt; tunc in sententia ferenda ad utriusque provinciæ leges apud nos respicitur. Quæ legibus definita non sunt, componuntur secundum cujuslibet provinciæ, vel inter se vicinarum consuetudines. Quandoque etiam secundum pacta inter venditorem atque emtorem inita res transigitur.

§. III.

Leges de judicantibus.

De iis, qui de damno dato a judice audiendi sunt, in constitutione principali Comitatum Hanovico-Lichtenbergensem concernente, §§. V - VIII. sequentia decreta sunt: Bey dem entstandenen Streit über die Krankheit eines Pferds soll dasselbe, auf Kosten des verlierenden Theils, durch zween Hufschmiede, welche ihre Meynung schriftlich zu verfassen haben, und entweder vor dem Geschäfte zu beeidigen sind, oder aber nachher ihren Rapport zu beschwören haben, besichtiget werden. Bey dem Rindvieh, Schweinen und Schafen sollen in den streitigen Fällen zween Metzgermeister, und wo nur einer zu haben ist, dieser, nebst dem Schultheissen oder Gerichtsschöffen des Orts, zu der Besichtigung gerufen werden. Wie denn auch dem Wasenmeister, welcher das crepirte Vieh besichtiget, in so fern er noch einen Viehverständigen dazu nimmt, und die Besichtigung in Gegenwart des Verkäufers, oder, wenn dieser ein Ausländer,

der, und nicht bey Handen ist, des Schultheissens oder Gerichtschöffens, verrichtet, ebenfalls Glauben beygemessen werden soll.

§. IV.

Aptior investigatio.

In morbis pecudum late grassantibus, damnosissimasque strages sæpius edentibus, Physicorum anatomiæ atque artis veterinariæ peritorum, dijudicandis averruncandisque consilia, & quidem meliore cum eventu, Magistratus dudum audiverunt. Teste cel. *Jo. Scopoli* in anno historico naturali III. p. XLIII. ob eorum hominum defectum, qui experientia & ratione edocti, armentorum pecudumque lues sanare norunt, hæ perseverant, crescunt, nullaque arte coërcitæ, pro lubitu debacchantur. Quin & in caussis circa pecudum morbidarum venditiones, mortesque subsequentes, in foro ventilatis, in eruenda facti certitudine physico-veterinaria jam Judicum atque Patronorum caussarum prudentiores, non muliatrorum atque lanionum perplexa, sed Medicorum firmiora consilia respicere &, in casibus obviis ad leges applicandis, illis recte uti solent.



Cap. II.

De evictionis causa & tempore.

§. I.

Venditionis dijudicatio.

Cum in jumentorum pecudumque venditione is scopus communis

munis sit, ut in rectos emtoris usus cedant; dolosa morbidorum venditio, tanquam fini contraria, legibus recte prohibita est. Lites circa venditionem subortæ, constituta prius in singulis casibus facti certitudine, secundum statuta cuilibet provinciæ propria, quandoque etiam ex summis Magistratus indultu, ob implicatos exteros secundum terrarum vicinarum leges atque utrarumque consuetudines dirimendæ sunt. De pecudibus morbidis ad venditionem prorsus inutilibus in constitutione Hassiaco-principali d. XVI. Jul. MDCCXLII. promulgata hæc præcepta sunt; Aller Handel und Wandel mit anstößigem Vieh soll in unsern Landen In- und Auswärtigen, bey namhafter Strafe, gänzlich verbothen seyn.

Schol. Boves & pecora lue contagiosa lateque grassante infecta, ob certissimum atque commune damnum inde enaturum, nec in loca vicina agi, nec vendi possunt, & si quis tale facinus ausus fuerit, gravissima pœna afficiendus est.

§. II.

Saginandorum evictio.

In jumentorum pecudumque venditione emtori evictionem a venditore præstandam esse, res ipsa postulat, legibusque sancitum est. Cum autem emtionis scopus diversus sit, evictionis etiam tempora (die Wandelzeit) inter se discrepant. In constitutione principali d. XXI. Jan. MDCLXXXIV. promulgata evictionis tempus, respectu boum pecorumque mactationi destinatorum, ita expressum fuit: Bey dem Vieh zum Schlachten ist die Währzeit nur 3. Tage. Hätten sich

aber die Contrahenten über eine längere Zeit verglichen; so soll es dabey gelassen werden. At in constitutione principali d. 1. Sept. MDCCII. divulgata ad integros tres menses terminus hic, qualem scilicet ipsa saginatio exposcit, prolatus est: In Absicht der Zeit der Schadloshaltung des zum Schlachten verkauften, aber falsch gefallenen Viehes, sollen die gewöhnlichen 3. Tage nicht mehr beobachtet, sondern in allen Contracten, wenn beyde Contrahenten aus unserm Land sind, ein viertel Jahr, wenn aber der Kläger ein Ausländer ist, und die Schadloshaltung an einem von unsern Unterthanen gesucht wird, diejenige Zeit, es sey ein viertel, halbes oder ganzes Jahr, mehr oder weniger, welche an selbigem Orte, wo der Käufer seßhaft ist, beobachtet wird, und daß solches würklich also geschehe, und daß in dergleichen Fällen auch solche Zeit gegen unsere Unterthanen, wenn selbige Kläger seyn, in sententionando beobachtet werden wolle, unter obrigkeitlicher Hand und Siegel beygebracht werden wird, zur Regel und Richtschnur gehalten werden soll. Hæc non nisi de bobus pecudibusque mactationi destinatis intelligenda esse, in constitutione principali d. XXI. Jan. MDCCXVI. edita iterum declaratum est. Consimilia in Regiminis principalis resoluto d. XXI. Jan. MDCCXV. dato, sequentibus verbis expressa sunt: Wenn Rindvieh zum Schlachten verkauft wird, und der Verkäufer ausserhalb Landes wohnet, auch das Stück Rindvieh daselbst an Jemand in hiesiges Fürstenthum verkauft worden; alsdenn ist die Währzeit zu nehmen, wie sie in demselben Land üblich, wo der Ver-

Verkäufer gesessen, und der Verkauf geschehen ist. Würde aber unter hiesigem Fürstenthum Eingesessenen, selbst auch unter Fremden und zum Theil Einheimischen, hier im Lande, ein Handel wegen des Rindviehs zum Schlachten getroffen; alsdenn versicht sich die Währschaft auf ein viertel Jahr.

§. III.

Ubi vero jumenta ac pecora non ad vescendum, sed ad vehendum atque agrorum cultus (Zugvieh) vel ad fœturam (Zucht- oder Faselvieh) vel ad mercaturam (zu dem Handel und Wandel) venduntur ementurque; intra quatuor hebdomadum spatium evictionis vel damni præstandi tempus apud nostrates conclusum est. In supra citata constitutione principali d. XXI. Jan. MDCLXXXIV. promulgata, juribus Comitatus Catimelibocensis superioris conformi, jussuque principali ad Hassiam superiorem extensa lex sequentem in modum lata est: Wofern der Verkäufer innerliche Natur, Eigenschaften und Gebrechen eines verkauften Viehes, so dasselbe zur Zeit des Verkaufs hatte, listiger und betrüglicher Weise verschweigen würde; so soll der Verkäufer sein Gut innerhalb 4. Wochen wieder nehmen, und dem Käufer die erlegte Kaufsumme erstatten; mit der Maaß, daß auch der Käufer in diesem Fall das erkaufte Stück dem Verkäufer so gut, als er es empfangen, wiederstelle, und darinn keine Gefahr brauche; wie auch der Verkäufer die Gewährschaft auf 4. Wochen zu thun, verpflichtet seyn soll. Hujus legis verba: innerliche

Aliorum.

che Natur de statu morboso vel morbo latente, sumenda esse, & vocabula: daß der Käufer das Stück so gut, als er es empfangen, wieder stelle, non de ipso morbo interea sua indole ad majorem gradum evecto, sed ex culpa emtoris accidente intelligenda esse, ex ipso contextu patet.

§. IV.

Legis hujus confirmatio

Legem hanc de bobus fine §. præcedente enumerato venditis speciatim, non autem de saginandis mactandisque capiendam esse, in constitutione principali d. IX. Dec. MDCCXVI. data his verbis ulterius declaratum est: Wenn Rindvieh zum Handel und Wandel verkauft wird; so lauft die Währzeit 4. Wochen, und ist alsdenn, wenn das Vieh verreckt und sich bey dem Aufbruch ein vitium latens befindet, woran ein Vieh sterben kan, nicht zu scrupuliren, ob das Vieh vor den 4. Wochen dergleichen Mangel und Schaden tragen können oder nicht? sondern es ist bey der in der Fürstlichen Verordnung bestimmten 4. wöchichten Frist generaliter und so lange zu bleiben, bis die Contrahenten entweder selbst gestehen, oder einer den andern überführt, daß das Vieh ausdrücklich zum Schlachten verkauft worden sey.

§. V.

Cautio in emtione.

Quidam jumentorum pecudumque morbi ac vitia ita comparata sunt, ut sub sensus cadant; hinc in illorum emtione omni cautione opus est, ne quis morbida pro sanis emat, & si emtor rei pecua-

riæ

riæ non satis gnarus est, ut unum alterumve honestum virum illius probe peritum in consilium illorumque dijudicationem adhibeat; sic enim lites jumentorum pecorumque venditioni supervenientes omnium optime præcaventur.

§. VI.

Cita morbi indicatio.

Quodsi in jumento vel pecore emto morbosa quædam symptomata, v. c. calor febrilis, debilitas, ad labores consuetos ineptitudo, anorexia, alvi obstructio, lotii retentio, mictus cruentus, asthma, tussis pertinax, epilepsia, mania, doloris signa &c. compareant; artis veterinariæ gnaris morbi investigationem emtor actutum demandet, illumque quantocyus, antequam evictionis terminus præterlapsus sit, tam venditori denunciet, quam ad judicem deferat; ne, si quid sinistri evenerit, damnum in illum redundet.

§. VII.

Legalis inquisitio.

Cum jumentorum pecorumque morbi mortesque haud raro occurrant, qui illorum venditionem utique irritam faciunt; (wo der Rückgriff statt hat) ab artis peritis, hunc in finem a judice requisitis, tam in illorum indolem, quam harum caussas, accurate inquirendum, atque visa ac reperta, secundum principia physico-veterinaria, in foro pronuncianda sunt; ut firmum justæ sententiæ ferendæ fundamentum judices habeant.

§. VIII.

Morborum dijudicatio. Respectu morborum eo potissimum respiciendum est, an illi, vel saltim insuperabiles eorum caussæ venditionis tempore jam adfuerint, aut postea demum sponte, vel emtoris culpa, exorti sint, ut & an medelam perfectam admittant, nec ne? Quinam vero morbi venditionem in quolibet jumentorum pecudumque genere irritam faciant, in speciali morborum disquisitione indicabimus. In mortuis accurata illorum dissectio sedes ac caussas morborum mortiumque omnium optime prodit, & sollicita visorum repertorumque consignatio ostendit; neutra igitur in ejusmodi casibus omittenda est.

§. IX.

Chronicorum. Non desunt morbi chronici, v. c. phthisis pulmonalis &c. qui in initio suo nonnisi obscura ac dijudicatu difficilia signa exerunt, sensim tamen incrementa, cum primis causis cohærentia, capiunt, nullamque curationem admittunt, ita, ut mors, citra emtoris culpam, elapso consueto evictionis tempore, denique accidat, & consuetum evictionis tempus ejusmodi morbis haud satis accommodatum sit.

§. X.

Acutorum. Dantur contra morbi acuti, v. c. inflammatorii, maligni, apoplectici, quorum caussæ, etiam post pecoris venditionem exortæ, intra pauca temporis minuta vel paucos dies

dies necant. Hic lex Inſtit. juris l. III. tit. XXIV. propoſita: quidquid ſine dolo & culpa venditoris accidit, in eo ſecurus eſt, locum habere, &, reſpectu morborum chronicorum incurabilium ante venditionem non ſatis cognitorum, emtoris jus pari paſſu cum illo venditoris ambulare videtur.

Schol. Si in jumentorum pecorumque mortibus ſubitaneis extinctorum diſſectione nullum ſtatum præternaturalem carnifices & veterinarii detegunt ac vident, illa apoplectica (an dem ſchieſſenden Geblüt, oder Nachtſchaden) periiſſe, pronunciant; qui morbus ſcilicet antea ſanis intra nychthemeron, cum lethali eventu, accidere poteſt. Hæc utique mortis ſubitaneæ cauſſa ſubinde contingere aſſolet, quæ, cranio aperto, atque encephalo artificioſe diſſecto, ad oculum demonſtrari poteſt ac debet; quod tamen boni illi viri modo non ſemper negligunt, nec cerebri ſtructuram ſtatumque ejus præternaturalem intelligunt. An autem conjecturas ſuas, non autem viſa & reperta, protuliſſe, hic ſatis ſit, ipſimet Juriſconſulti videant!

****

CAP. III.

De equorum morbis.

§. I.

Acuti graſſantes.

Licet in equino genere morbi acuti in commune graſſantes haud facile locum habeant; atta-

men annis nimium pluviis, qualis seculi hujus septuagesimus secundus erat, febre catarrhali maligna, cum capitis tumore, ophthalmia serosa, palpebrarum conglutinatione, asthmate ac tussi conjuncta, plures laborarunt, & vel ipso hoc morbo, intra unam alteramve hebdomadem, vel, illo male judicato, læsosque pulmones relinquente, phthisi pulmonali (an der nassen Lungenfäulniß) denique perierunt. Ejusmodi equos haud vendibiles esse, per se patet. Cum autem ille morbus rarius occurrat; vitiis equorum sonticis (den Hauptmängeln) hactenus haud annumeratus est.

§. II.

Inflammatorii. Ut in aliis jumentis pecudibusque morbi inflammatorii periculosi locum habent, v. c. enteritis (die Darmgicht) pleuritis, peripnevmonia, pleuropnevmonia &c. ita & in equinum genus iidem cadunt, inprimis si equi, ultra debitum, cursu aliove labore nimio exagitati, ac postea corpori calenti frigida largis haustibus ingesta, vel frigus externum sudantibus ac quiescentibus admissum fuerit; tunc ejusmodi morbi in scirrhos, aut suppurationem, vel in gangrænam & sphacelum (in die nasse oder trockene Fäulniß) transire solent. His interitus caussis sub sectione inventis, ex morbi indole, duratione aliisque connexis, an illæ jam ante venditionem adfuerint, vel demum post eam positæ sint? dijudicandum est.

§. III.

§. III.

Quatuor vitia fontica, venditionem equorum irritam facientia, (vier Hauptmängel) equisones numerare solent, nimirum I. Asthma chronicum incurabile (Bauchschlägtigkeit, Bauchbläsigkeit, Dämpfigkeit) II. Phthisis serosa (der Lungenrotz.) III. Mania (der Koller.) IV. Abactus (wenn das Pferd gestohlen worden.) Ultima hæc caussa validam quidem venditionem impedit; attamen certo respectu non ad forum veterinario-civile, sed ad criminale pertinet. In principalis Regiminis resoluto d. XXV. Jan. MDCCXV. edito sequentia equorum venditionem concernentia definita sunt: Den Pferdshandel belangend, so ist der Verkäufer nicht weiter, als für die 4. Hauptmängel zu stehen schuldig: wenn er auch bey dem Handel die Formalia gebraucht hätte, er stehe für alle Mängel; es wäre denn ein anders unter den Contrahenten namentlich und ausdrücklich respective ausgehalten und versprochen worden.

Vitia fontica.

§. IV.

Asthma chronicum insanabile equos viatorios & vectarios laboribus consuetis exantlandis ineptos reddit, laboriosa anhelatione, ac morboso musculorum abdominalium motu cognoscitur, & longæ respirationis organorum vitia supponit, &, ob dictam & incorrigibilem ejusmodi equorum ineptitudinem vitiis fonticis accensetur.

Asthma.

§. V.

§. V.

Phthisis serosa. Phthisis serosa (der Lungenrotz) ex catarrho neglecto chronico & male judicato (aus einer eingewurzelten Kehlsucht oder Strengel) ortum ducens, & primo tussi pertinaci, dein saniei acris ac putridæ ex naribus profluvio & denique calore hectico atque corporis contabescentia se prodens, contagiosa est, vires prorsus infringit, & denique necat. Ejusmodi equos mercaturam transire non posse, per se clarum est.

§. VI.

Mania. Duas species equorum mania sub se comprehendit, nimirum sedatam (den stillen Koller) & furiosam (den tobenden Koller); utraque curationem modo non semper respuit, & prior usum equorum impeditum ac difficilem, posterior vero periculosum reddit; adeoque, cur morbis sonticis, venditionem impedientibus, annumeratæ sint, facile apparet.

Obs. I. Ea maniæ equinæ species, sub qua in furorem quidem non erumpunt, attamen accessione, ex improviso sæpiusque recurrente, fere inutiles reddunt, sequentibus signis se manifestat: ingruente paroxysmo sub ipso motu subito cessant, caput demittunt ac quatiunt, toto corpore tremunt, &, quasi lapsuri, vacillant. Finita accessione, institutum quidem cursum continuant, qui brevi post simili modo iterum interrumpitur.

Obs. II. In maniæ furiosæ speciem ex pavore vehemente equi generosi juniores, male tractati, quandoque conjiciuntur, quæ postea incoërcibilem

bilem ut plurimum, mentis potius, quam corporis, morbum constituit.

§. VII.

Lex de his morbis.

Equorum sonticis morbis laborantium venditio ubique, & apud nos in supra laudata principali constitutione §. V. sequentibus verbis interdicta est: der Verkäufer eines mit dem Rotz, Dämpfigkeit oder Koller behafteten Pferds soll innerhalb 4. Wochen, mit barer Erstattung des Kaufschillings, solches zurück zu nehmen schuldig seyn. Wenn der Verkäufer sich hiezu in Güte nicht verstehen wollte, oder er ein Ausländer, oder sonst abwesend ist; so soll das Pferd, auf Kosten des verlierenden Theils, durch verpflichtete Kunstverständige besichtiget werden, und soll der Verkäufer, er komme wieder, wenn er wolle, das Pferd zuruck zu nehmen gehalten seyn.

§. VIII.

Epilepsia.

Epilepsia, quoniam in equinum genus raro cadit, morbis sonticis vulgo haud annumerata est; merito tamen, quia rectum equorum usum impedit, & quandoque periculosum reddere potest, caussis venditionem irritam facientibus accenseri debet. In constitutione principali Comitatum Hanovico-Lichtenbergensem concernente, MDCCLXIX. edita, equorum epilepsia (die Kränke oder schwere Noth) inter morbos sonticos venditionem impedientes recte relata est. In constitutione principali §. VII. citata de hoc morbo sequentia præcepta sunt: Bey der Kränke der Pferde, welche

gar

gar starke Zwischenräume hat, setzen wir den Terminum der Gewährzeit auf ein viertel Jahr.

§. IX.

De equis corruptis. Equi annis vel morbis confecti, atque ob virium haud restaurabilium decrementum, laboribus minime idonei, mercabiles non sunt, eorumque venditio juste prohibita est. In mandato principali d. XV. Jul. MDCCXLII. promulgato, ne ejusmodi equi veneant, sequentibus verbis cautum est: Mit alten abgängigen Pferden, welche keine 3. fl. werth sind, soll kein Handel weder in- noch viel weniger ausserhalb Landes verstattet werden.

****

Cap. IV.

De boum morbis.

§. I.

Morbi acuti. Inter acutos boum morbos catharrhales putridos, choleram, dysenteriam, atque inflammatorios, quandoque late grassantes, interdum vero non nisi sporatice obvios, nec non apoplexiam referimus. Quidam inter illos contagiosi, alii vero, a caussis communibus pendentes, plures quidem aggrediuntur multamque stragem edunt, sed contagiosi non sunt. Quidquid vero horum sit, boves talibus morbis correpti venire nequeunt, & iis jam

jam laborantes venditi, ac brevi post mortui, venditoris damno perierunt. Boves lue contagiosa correptos vendere, ob infectionis periculum, admodum exitiosum atque gravi pœna dignum esse, supra jam monui.

§. II.

Catarrhales putridi.

Autumno, nimia cœli varietate gravi, multumque pluvio, maxime in locis uliginosis, morbi catarrhales putridi inter bovillum genus grassari atque contagiosi esse solent. Anorexia, febricula, pulsus celer & debilis, ingens virium prostratio, subita corporis emaciatio, tussis, inflammationis septicæ signa, halitus fœtens, diarrhœa putridum olens, pessimi hujus morbi signa sunt. Post mortem intra octiduum ut plurimum contingentem sanguis fluidus manet, cita putredine cadaver corripitur, & spaceli signa tam in intestinis, quam aliis visceribus, hinc inde reperiuntur. Talis morbus in præfectura Wetteraviæ Bingenheimensi anno hujus sæculi septuagesimo septimo grassatus est.

§. III.

Cholera.

Cholera partim humida, partim sicca, adulto vere ipsaque æstate cœlo multum calido, boves aggredi ac strages suas edere solet; rarius tamen, quam lues catarrhalis maligna, occurrere videtur. Pro mitiore vel vehementiore æstus gradu morbus lenior vel vehementior fit. Diathesin humorum putrido acrem pro caussa habere videtur, qui, versus primas vias delati, inflammationem earum septicam, gangrænam atque sphacelum, & abdomi-

nis

nis tumorem, borborygmos in inteſtinis, continuamque flatuum eruptionem, vel diarrhœam fœtidiſſimam producit. Anorexia, febricula, ingente virium proſtratione, & lactis defectu in vacceis morbus incipit. Poſtea oculi inflammantur & ſerum acre fœtens ex illis, ore ac naribus largiter profluit, a quo cuticula in ore exeditur. Diarrhœam primis ſtatim diebus acceſſiſſe ac plures dies permanſiſſe, ſalutare, eam ſubito iterum ſufflaminatam eſſe, vel quinto aut ſexto morbi die demum acceſſiſſe, aut prorſus non apparuiſſe, copioſiſſimis flatibus vices ejus ſuſtinentibus, ſemper lethale fuit. Sub continuante diarrhœa convaleſcentium os, collum, atque in vaccis ubera porrigine multa fœdabantur, & crines in collo cadebant. Hi morbum recidivum non patiebantur, licet in eodem ſtabulo, in quo alii graviter ægrotabant, aliique lue extinguebantur, manerent. In cadaveribus, valde emaciatis & ſubito putreſcentibus, ſanguinem fluidiſſimum, omaſum atque inteſtina craſſa maculis ſphaceloſis hinc inde obſita, echinum cum ſuis plicis nigrum, ſphacelo ſicco corruptum ac fragilem, & ventriculum tertium atque inteſtina tenuia livida nigraque deprehendi. In omaſo, ventriculo tertio atque inteſtinis tenuibus tunica villoſa digito abſtergi potuit. Omaſum pabulum non digeſtum, quodammodo tamen humidum, echinus digeſtum, ſed ſiccum & fragile continebant, qualia exſiccata boum in pratis ſtercora jacere ſolent. Ventriculus tertius ſero ſubflavo fœtidiſſimo redundabat, atque inteſtina putrida & griſeo colore prædita ſaburra ſcatebant. Talis morbus in duobus protodynaſtiæ Gieſſenſis pagis adulto vere

atque

atque æstate, cœlo admodum calido anno MDCC-LXXVI. grassatus est.

Schol. Hæc ad jus veterinario-civile non pertinere, facile largior; cum tamen morbus hic non adeo frequenter occurrat, in artis veterinariæ cultorum gratiam, quæ a me in eo tractando observata fuerunt, brevissimis hic annotare volui.

§. IV.

Dysenteria.

Sub æstatis exitu, cœlo interdiu calido, vespere, noctu ac mane frigido, boves dysenteria, haud raro maligna, invadere multosque necare solet. Cum hujus morbi symptomata satis nota sint; ab eorum enumeratione abstineo. Hunc in Thuringia anno, ni fallor, MDCCLXII. ingentem bovili generis stragem edidisse, memini. Armenta ex terris Magdeburgicis, durante bello ab hostibus abacta, interdiu sub abactu sudantia, & noctu sub cœlo frigido detenta, huic lui occasionem dederant.

§. V.

Morbi inflammatorii.

Morbi inflammatorii, v. c. pectoris, aliorumque viscerum in bovillo genere sæpius sporatice, quandoque etiam communiter, occurrunt. Illis caussæ particulares, v. c. corporis calentis sudantisque subita refrigeratio potu frigido hausto, vel frigore extrinsecus admisso, motus vehemens, sanguinem in orgasmum ciens atque in vasa minima urgens, quiete subito subsequente; his caussæ communes, e. g. frigus cœlum calidum subi-

subito excipiens, vel plethora spissa veris calore expansa, & hi quidem plures aggrediuntur, & sub erronea tractatione, necant, minime autem contagiosi sunt. Ubi morbus inflammatorius particularis in gangrænam atque sphacelum degenerans bovem necaverit (wenn er an der trockenen Lungen- oder Darmfäule ꝛc. gefallen) ex morbi duratione, symptomatibus observatis, cadaveris sectione aliisque connexis, an caussa proxima morbi ante venditionem jam adfuerit, nec vine? dijudicandum est. In constitutione Hanovico-Lichtenbergensi §. II. de morte ex tali caussa suborta sequens præceptum est: Bey dem Rindvieh soll die Fäule als ein Hauptmangel angesehen werden.

Schol. I. Cum, post inflammatorium pulmonis morbum sphacelo finitum, serum in pectoris cavitate collectum haud raro inveniatur, lanionum atque carnificum quorundam judicia atque enunciationes admodum ambigua, nec satis firma, esse solent; viso enim sero in pectoris cavum effuso, pulmonis sphacelum etiam die nasse Lungenfäule nominant; cum tamen hæc denominatio nonnisi vomicis atque phthisi pulmonali competat.

Schol. II. Lienis intumescentia ac inflammatio (die Milzschwachheit, Milzwehe) bobus frequentior atque pernitiosior, quam hominibus, est. Fibrosam splenis in hoc animalium genere substantiam, & hepatis obstructionem annosioribus familiarem, sanguinis ex liene in portarum venam delationi impedimenta ponentem quandoque culpæ proximam esse, arbitror. In hepate obstru-

obstructo bilis secretionem non rite fieri simul clarum est, & hac de caussa in boum splenitide bilem deficere, (die Galle habe keinen rechten Trieb) laniones asserunt. Huic morbo tamen vulgares inflammationum caussas saepe ministrare, credibile est.

§. VI.

Apoplexia.

Quia apoplexia subito ingruit & saepissime necat, inter morbos acutos jam a veteribus relata est. Boves plethoricos sub coelo multum calido actos sporatice, subinde tamen ex eadem caussa plures, aggreditur ac tollit, licet minime contagiosa sit. Secundum principia physico-veterinaria hujus morbi mortisque damnum venditor praestare nequit, & tanto minus, si emtor bovis plethorici impetuosiore, sub coelo calido, abactu vel labore improbo huic morbo occasionem dederit. Hoc autem mortis genus non fingi, sed sectione demonstrari debere, supra jam dictum est.

§. VII.

Morbi chronici.

In boves morbi chronici, partim usum illorum impedientes, & partim insanabiles, cadunt, qui eorum venditionem utique irritam faciunt. Huc mictum cruentum, epilepsiam, vertiginem, phthisin pulmonalem atque saniosa sedium internarum tubercula referimus, quorum succincta enumeratione jam opus est.

§. VIII.

Mictus cruentus.

Mictus cruentus nonnisi per longiora intervalla accedens non quidem

dem tam nocivus, quam sæpius recurrens vel habitualis, nimiæ renum relaxationi vel eorum læsioni debitus, & denique in corporis consumptionem degenerans est. Cum tamen ille temporis successu deterior fieri possit, & hic jam noxius sit; in constitutione Hanovico-Lichtenbergensi hic morbus inter sonticos, venditionem boum impedientes, his verbis relatus est: Bey dem Rothseigen soll der Verkäufer, mit Erstattung des Kaufschillings, das kranke Vieh, binnen 4. Wochen von dem Tag des Verkaufs, zurück zu nehmen, gehalten seyn.

§. IX.

Epilepsia. Epilepsia bovinum genus etiam quandoque corripitur, qui morbus illos non solum fœturæ & laboribus rusticis, sed etiam saginationi & mactationi, ineptos reddit, ac venditionem prohibet. In constitutione Hanovico-Lichtenbergensi epilepsia morbis boum sonticis, venditionem irritam facientibus quoque accensetur: Das schwere Leid soll bey dem Rindvieh als ein Hauptmangel angesehen werden, und der Verkäufer soll, mit Erstattung des Kaufschillings, binnen 4. Wochen von dem Tag des Verkaufs, das kranke Vieh zuruck nehmen.

§. X.

Vertigo. Inter morbos boum sonticos vertigo, non tamen quævis, sed caduca, usum illorum impediens, refertur. In modo laudata constitutione de hoc morbo ita præceptum est: Als ein Hauptmangel bey dem Rindvieh

vieh soll der Umgang in dem Kopf, wenn es in demselben zu Boden fällt, angesehen werden, und der Veräuser soll sein Vieh, mit Ersetzung des Kaufschillings, binnen vier Wochen zuruck nehmen. Wenn es sich aber in dem Paroxysmo aufrecht erhalten kan; so soll dieses kein Hauptmangel seyn.

§. XI.

Phthisis pulmonalis.


Inter chronicos boum morbos phthisis pulmonalis (die nasse Lungenfäule) haud raro occurrit, quæ tamquam purulenta ex inflammatione pulmonum male judicata, vel saniosa, ex catarrhis acribus neglectis pulmones exulcerantibus oritur, & hanc phthisin a destillatione veteres nominabant. Si boves in stabulis tepentes primo mane pastum aguntur, vel, cœlo diu multumque pluvio, sub dio detinentur; ex transpirationis suppressione & graminis humidi frigidique devoratione, in catarrhos morbosque inflammatorios, malaque eorum consectaria, incidunt; & sic phthisi pulmonali sæpius via panditur. Cum hæc ad morbos chronicos pertineat, & circa initia sua dijudicatu difficilis sit, & sub incrementis suis per consueta sua symptomata demum cognoscatur; in nonnullis provinciis evictionis terminus trium mensium spatio recte descriptus est. In constitutione Hanovica nonnisi consuetum unius mensis tempus præfinitum est.

§. XII.

Saniosa tubercula.

In vaccis, potissimum tempore vernali, rarius in bobus, tubercula,

lentes, pisa, nuces avellanas magnitudine æquantia, sporatica vel inter se complicata, alba, subflava, rubra, fusca, coerulea, nigra, pus fluidum vel induratum, aut saniem pessime fœtentem, continentia, oriuntur. Hæc in pectore pleuram, pericardium, pulmones, in abdomine peritonæum, omasum, echinum, omentum, hepar, lienem ac mesenterium, in utroque septum transversum, obsident, quin & altius in viscerum parenchymata penetrant. Morbum hunc die Perlen, Hirßsucht, & vocabulo minus adæquato die Franzosen, veterinarii nominant. Tubercula pus album fluidum aut spissatum continentia fœtorem quidem non spargunt; attamen carnes inutiles faciunt; licet laniones quidam earum usum approbent, & inflammationis benignæ confectarium esse, perhibeant (sie erkennen es für einen hitzigen Trunk.) Cum hic morbus etiam inter chronicos, circa initia sua latentes, referendus sit, diuturnior evictionis terminus ponendus est. In constitutione Hanovica §. II. de hoc morbo sequentia præcepta sunt: Bey dem Rindvieh sollen die Perlen, oder das Hirsicht seyn unter die Hauptmängel gerechnet werden. §. VI. Der Verkäufer eines mit den Perlen oder Hirsen behafteten Viehes soll dasselbe, innerhalb 2. Monaten von dem Tag des Verkaufs, mit baarer Erstattung des Kaufschillings, zuruck zu nehmen, gehalten seyn. In dem Weigerungsfall soll eben das, was §. V. bey den Pferden verordnet worden, beobachtet werden.



CAP.

****

Cap. V.

De ovium morbis.

§. I.

Ovium morbi. Rarius acutis, sæpius chronicis, morbis oves corripiuntur ac pereunt. Circa illarum venditionem, respectu damni præstandi, hactenus apud nos nulla quidem lex lata est; sed potius in principalis Regiminis resoluto, d. XXI. Jan. MDCCXV. edito, sequentia legimus: Wegen der Schafe, weil desfalls keine Specialverordnung vorhanden ist; wird regulariter keine eviction geleistet. At in constitutione Hanovica leges eorum morbos concernentes utique latæ sunt. Ceteroquin tamen etiam apud nos in nonnullis ovium morbis emtori venditor, ex usu recepto, de damno cavere solet.

§. II.

Morbus majalis. Medio vere, ex pabuli abundantia nimiaque voracitate, (wenn sie sich überfressen) febre atque delirio acuto oves corripi solent, quem morbum die May-Schwachheit opiliones nominant. Febrem istam cum synocho convenire, arbitror. Eodem tempore pecus hoc seri vel sanguinis profluvio (schleimichten oder blutichten Durchfall) laborare solet, cui nimia humorum abundantia occasionem præbere videtur. In his morbis, breviore temporis

poris gyro transactis, damnum præstari haud solet.

§. III.

Febris inflammatoria. Tempore autumnali febre inflammatoria septicæ indolis, seu intestinali, oves quoque corripi ac rapi solent, & in earum dissectione echinus (der Falter) atque intestina sphacelo corrupta inveniuntur. Nec in hoc morbo, ob dictam caussam, evictio præstari solet.

§. IV.

Rabies. Ovium a canis rabidi morsu in furorem actarum carnes esui non sunt, adeoque venire nequeunt. In pluribus rabies intra primam alteramve post morsum acceptum hebdomadem, in paucis post quintam sextamve demum erumpit. Circa morbi initia stupidi & capite demisso, quasi quid quærerent, incedunt, gregem tamen sequuntur. Duobus diebus post a pabulo potuque abstinent, & capitibus cornibusque oves sanas, canem custodem, ipsumque opilionem petunt, istisque insultant. Duæ rabidæ inter se decertantes tam diu dictas arietationes continuant, usque dum frontes sauciatæ sanguine diffluant. Furore circa quartum quintumve diem aucto, capita quibusvis objectis, v. c. januis, muris, sine remissione, inpingunt, pedes suos morsibus, non autem alios, vulnerant, & die quinto sextove moriuntur. Post mortem vulnus in interiore femoris latere inflictum cicatrice quidem clausum, sed sub hoc femur sphacelo corruptum, renes, omnesque colli muscu-

musculos inflammatos atque ex parte sphacelo infectos vidi. Corpus emaciatum, sanguis fluidissimus, vasa piæ matris atque intestinorum turgida, & cerebri cava sero redundantia reperiebantur. Ventriculus pabulo haud digesto repletus, sed intestina fere vacua erant. Id quod in veterinariæ studiosorum gratiam breviter hic enarrare volui.

§. V.

Morbi chronici. Pluribus morbis chronicis partim ex aëris inclementia, partim ex mala pabuli conditione, aliisve connexis, orientibus, magnas strages inter illas edentibus, oves subjectæ esse solent. Dictis morbis mania, epilepsia, scabies, hydrops atque phthisis pulmonalis, merito accensentur, atque in illis evictio partim præstatur, partim, refragante consuetudine, locum non habet.

§. VI.

Mania. Agnos quidem mania subinde tentat, sed in oves biennio majores perraro cadit. Hoc morbo autumno contingente correpti in gyrum aguntur, &, modo non semper balantes, gregem non sequuntur. Mortuorum dissectio, sero encephalum redundare, docuit. Morbo comparente mactari solent, ubi vero post eorum venditionem demum eruperit; menstruum evictionis tempus emtori a venditore præstari solet.

§. VII.

Epilepsia. Epilepsia (opilionibus nostris die Lahmschwachheit dicta) ovillum genus

 etiam

etiam subinde convellitur. Adulto vere & prima æstate contingere, & plures subinde corripere solet. Accedente paroxysmo in gyrum aguntur, concidunt, convelluntur, ac dentibus strident. Nisi mitior morbi gradus fuerit, non convalescunt, sed intra nonnullarum hebdomadum vel duorum mensium spatium emaciati moriuntur. Morbis sonticis, evictionem poscentibus, accensetur; quæ apud nos, secundum consuetudinem, mensis decursum admittit. In constitutione Hanovica §. IV. & VIII. brevius tempus præscriptum est: Bey den Schafen soll das schwere Leid als ein Hauptmangel angesehen werden, und der Verkäufer soll die damit behaftete, nach zwo Wochen und einem Tag, mit Ersetzung des Kaufschillings, wieder anzunehmen, schuldig seyn. In dem Weigerungsfall soll die Besichtigung auch hier statt haben.

§. VIII.

Scabies. Ovium greges scabie sicca vel humida fœdari (von dem Anbruch, nassen oder trockenen Raude) vulgo notum est. Morbus hic carnes inutiles non reddit, adeoque venditionem, mactationis causa factam, irritam haud reddit. At oves scabie infectas, (Schmiervieh) dissimulato morbo, eum in finem vendere, ut gregibus puris (reinem Vieh) adsocientur, ob certissimum contagii periculum, illicitum, ac pœna dignum est. In constitutione Hanovica l. c. de hoc morbo sequentia edicta sunt: Bey den Schafen soll die nasse und trockene Raude, oder der sogenannte Anbruch, als ein Hauptmangel angesehen werden, und wenn die Schafe damit

mit behaftet sind, soll der Verkäufer solche, nach 2. Wochen und einen Tag; mit Ersetzung des Kaufschillings, wieder anzunehmen schuldig seyn.

§. IX.

Hydrops. Cum oves in septis ad ultimum autumnum usque ruri male detineantur, pastumque ducantur, & humidi frigidique aëris injuriis exponantur; primo pedum œdematibus & oculorum pallore, ac dein hydrope gregatim afficiuntur. Cum, ob caussam communem, morbus hic inter oves frequentissimus sit, evictionem, ne commercium turbetur, non admittit, sed, morbo ex signis suis noto, quantocyus venduntur mactanturque; cum tum temporis carnes adhuc esui, ipsæque oves nondum rejiculæ sint.

§. X.

Phthisis. Ex catarrhis & peripnevmonia male judicatis in phthisin pulmonalem saniflam vel purulentam (nasse Lungenfäule) oves haud raro incidunt. Pro diversis anni temporibus, quibus initia sua morbus hic capit, in phthisin æstivam ac hibernam (in die Sommer- und Winterfäule) ab opilionibus dividitur. Hæc satis cito, illa autem non, nisi autumno, cognosci potest; quod ex deteriore vel meliore aëris qualitate, celeriore ac tardiore morbi incremento concipi potest. Asthma chronicum, tussis pertinax, febris habitualis, corporis contabescentia, & in sectione reperta pulmonum ulcera, pro hujus morbi signis ac documentis sunt. De evictione tamen respectu ejus venditores haud tenentur; an satis juste? alii videant.

CAP.



Cap. VI.

De suum morbis.

§. I.

Morbi acuti. Sues morbis acutis, quandoque late grassantibus contagiosisque, corripi, vulgo notum est. Morbos inflammatorios, maxime anginam, illis, si, cœlo nimium calido, pastum aguntur, accidere, & hac cito necari, experientia evincit. Sues morbo acuto, vel lue contagiosa correptas vendibiles non esse, per se patet. Cum autem morbi hi brevi periodo judicentur; evictio in usu non est.

§. II.

Chronici. Nec in suillo genere morbi chronici desunt, inter quos si atrophici, epileptici vel glandulosi sunt, referuntur, atque in illis partim evictio locum non habet, partim vero admittitur.

§. III.

Atrophia. Porcelli justo citius a lacte depulsi, malisque alimentis nutriti, atrophici fiunt, & parvi, contracti macilentique manentes, ad justam staturam non excrescunt, nec saginationi apti sunt. Hac eorum corruptione in sensus cadente, damnum a venditore non præstatur, sed illud acceptum emtor, parum cautus, sibi imputet.

§. IV.

§. IV.

Epilepſia.

Porcos epilepſia periodica quandoque convelli, experientia teſtatur. Cum vero morbus hic eorum actum ac ſaginationem impediat, nec ſtatim, ſed ſuo demum tempore, appareat, evictio a venditore utique præſtanda eſt. In principalis Regiminis reſoluto d. IX. Dec. MDCCLIV. concepto ſequentia promulgata ſunt: Wenn rechtlich erwieſen werden kan, daß die Schweine, tempore contractus, bereits mit der fallenden Sucht behaftet geweſen; ſo ſoll die Währſchaft geleiſtet werden. In conſtitutione Hanovica ſuum epilepſia §. 3. & 7. morbis ſonticis, venditionem irritam facientibus, quoque accenſetur, & redhibitionis terminus menſe deſcribitur: Bey epileptiſchen Schweinen wird der terminus redhibitionis auf 4. Wochen geſetzt.

§. V.

Sues glanduloſas.

Sues glanduloſas (pfinnicht) eſſe, non, niſi in majori hujus morbi gradu, ex tuberculis inferiorem, muſculoſam linguæ partem obſidentibus cognoſci poteſt; ceteroquin muſculoſas, maxime in armis & pernis, partes morboſæ iſtæ glandulæ obſident; & cum major eorum copia carnem abominabilem atque inutilem reddat; damnum a venditore, prout ſtatuta provincialia id ferunt, omnino præſtandum eſt. Secundum principalis Regiminis reſolutum d. XXI. Jan. MDCCXV. datum, tertia pretii parte venditor privatur: Bey vorfallenden Schweineverkauf, wenn dieſe bey dem Schlachten pfinnicht befunden werden, ſoll der Verkäufer einen Drittel an dem Kauf-

ſchil-

schilling verlieren. In constitutione Hanovica §§. III. & VII. de hoc morbo sequentia præcepta sunt: Bey den Schweinen sollen die Pfinnen nur in dem Fall als ein Hauptmangel angesehen werden, wenn sie als fett verkauft, und etwa 3. Wochen nach dem Verkauf geschlachtet, und an jemand, der kein Metzger ist, verkauft worden. Wenn ein Schwein pfinnicht ausfällt; so ist der terminus redhibitionis auf 3. Wochen bestimmt, und soll, was in Absicht der Besichtigung bey dem Rindvieh verordnet worden, auch hier statt haben.



PARS IV.

DE JURISPRUDENTIA MEDICO - MILITARI.

CAP. I.

De jure medico - militari.

§. I.

Jus militare.

Milites partim jure communi, partim proprio, ab ipso scilicet eorum munere desumto, atque a belli Dominis præscripto, uti, notum est. Qui-

Quibus illius peritia opus est, iuris militaris scriptores, v. c. ill. *C. de Khevenhüller* Observationspuncte, *Lünigii* corpus juris militaris, Lipf. MDCCXXIV. editum, Dn. *Koſtkæ* obſervationes militares, *Caſpartii* Kriegsrechtlichen Unterricht, Dn. *Waga* de natura & conſtitutione juris militaris, Dn. *Knorrii* Einleitung zum Kriegsproceß, Dn. *Fr. Andr. Gottl. Gnugii* Einleitung zum Kriegsrecht, Jenæ MDCCL. editam, Dn. *Engelhardi* ſpecimen juris militum, Francof. MDCCLIV. typis excuſam, aliosque bonæ notæ autores adeat, variasque leges bellicas (Kriegsartikel,) a Regibus ac Principibus rogatas, evolvat.

§. II.

Quatenus juris militaris præcepta *Medico-* principiis phyſico-medicis nituntur, *militare.* factorumque ſecundum illud dirimendorum certitudo ex dictis principiis eruenda pronunciandaque eſt, illorum ſcientia jus medico-militare conſtituit, ad quod caſus obvii, inveſtigandi dijudicandique, rite applicandi ſunt.

Schol. Illæ leges, quæ ad rempublicam militarem conſtituendam gubernandamque faciunt, non ad jus militare, ſed ad politiam militarem pertinent; licet illi a nonnullis autoribus haud ſatis adæquate admixtæ ſint, v. c. quæ militum veſtes, tentoria, ſanitati conſervandæ approprianda, caſtra locis ſanis tutisque metanda, horum puritatem, ſufficientem annonæ militaris quantitatem ac qualitatem, militum manſiones, lectos, hoſpitalia, adverſæ valetudini convenientia, rectam ægrotorum curam, morbo contagioſo laborantium a

ſanis

sanis, vel alio morbo decumbentibus, separationem, Medicorum ac Chirurgorum castrensium copiam, dexteritatem ac diligentiam, instrumentorum chirurgicorum & medicamentorum procurationem, caussarum morbificarum averruncationem, scortorum impurorum abactionem, periculorum temere suscipiendorum, itinerum laborumque nimiorum, vires & sanitatem destruentium, evitationem, veteranorum senio multisque stipendiis fessorum emeritorumque alituram &c. respiciunt. Secundum digestorum l. XLIX. tit. XVI. §. XII. Officium tribunorum, vel eorum, qui exercitui præsunt, est, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensorum fraudem coërcere, valetudinarios inspicere &c. vid. ill. *C. de Khevenhüller* Observationspuncte pr. I. pag. X. cel. *Lünigii* corpus juris militaris p. LXXXII. DCCCXLIX. DCCCCXIV. MLVIII. *I. G. H. Krameri* medicinam castrensem, Norimb. MDCCXXXV. editam.

§. III.

Medicorum officium.

Quæstiones medico - militares ab artis peritis, Medicis atque Chirurgis castrensibus, eruendæ atque distincte, ordinatim ac rationabiliter in foro militari pronuntiandæ sunt. Neque de morbis internis, neque de externis gravioribus soli Chirurgi decernant, sed Medicorum utriusque medicinæ peritissimorum consiliis atque autoritate suffulti sint, vid. ill. *C. de Khevenhüller* l. c. pr. II. c. X. §. XXXII.

§. IV.

§. IV.

Actorum transmissio.

Ubi de criminibus capitalibus, ad principia physico-medica respectum habentibus, iisque dubiis, agitur, acta, sicut in aliis casibus criminalibus consimilibus, ordinum Medicorum dijudicationi subjicienda sunt; quo ad justam sententiam ferendam Juris periti sufficienter instruantur.

Cap. II.

De caussis a militia excusantibus.

§. I.

De morbis generatim.

In delectu militum habendo tam ad mentis, quam corporis firmitatem respiciendum est, ac nonnisi juvenes ac viri sana mente ac corporis robore præditi, ut officia bellica rite sustinere atque implere possint, conscribendi sunt. Omnis igitur status naturalis vel morbosus officiis militaribus impedimenta insanabilia ponens militiæ sacramento aliquem obligare impedit. Ætatem impuberem, senectutem, incorrigibilem mentis corporisque imbecillitatem, majorem melancholiæ gradum, maniam, longiora etiam intervalla lucida habentem, monstrosam & vitiosam corporis conformationem, v. c. gibberosam, varam vel valgam crurum constructionem, rhachitidem inveteratam, claudicationem immedica-

bilem, huc referimus, vid. cl. *Adr. Beierus* in jure militari, Jenæ MDCCXII. edito l. II. tit. III. thes. I.

§. II.

Morbi interni. Dantur morbi interni partim sensationes, partim omnes mentis actiones motusque voluntarios perpetuo, vel saltim certis quibusdam periodis impedientes, corporis vires infringentes, humanamque machinam sensim destruentes, qui, aliquem stipendia mereri, haud sinunt. Surditas, cœcitas, ophthalmia habitualis, aphonia, insanabiles, inveterati articulorum morbi, ancyloses, convulsiones tonicæ universales vel particulares, periodici, semper cum corporis prostratione & mentis alienatione atque eclipsi conjunctæ, v. c. tetanus, emprosthotonus, opisthotonus &c. epilepsia, catalepsis, lipothymia sæpius recurrens, vertigo inveterata, asthma chronicum, cordis palpitatio, chronica atque insanabilia, affectus soporosi chronici, paralytici, apoplectici, viscerum læsiones, phthisis pulmonalis, febris hectica, variæ hydropis species curationem non admittentes, sanguinis & seri profluvia præternaturalia atque habitualia, lienteria, fluxus cœliacus, diabete, incorrigibilia, nephritis calculosa, & vesicæ calculus in hunc censum veniunt. Hos autem morbos non simulandos, sed prudentum Medicorum atque Chirurgorum scrutinio ac testimonio extra dubium ponendos esse, sua luce radiat.

§. III.

§. III.

Vitia externa.

Ulcera fiftulofa ac cancrofa, auxiliis medico - chirurgicis haud obedientia, fed denique in corporis confumtionem ac febrem habitualem degenerantia, offa fracta male curata, membra luxata neglecta ac repofitionem non amplius admittentia, variæque herniarum incurabilium fpecies talia vitia funt, quæ, militiæ nomen dare, prohibent; licet etiam quædam herniæ reponi atque fafciis quodammodo retineri poffint, vim tamen militi competentem multum infringunt, nec duram militiam ferre finunt.

§. IV.

Morbi non dissimulandi.

Cum morbi, inprimis interni, non femper fub fenfus cadant, nec aftutum obfervari poffint; a nomina fua militiæ daturis fideliter indicandi funt; nam fi illos fraudulenter diffimulaverint; ut quosvis fumtus in fe impenfos reftituant, merito adiguntur, vid. Dn. *Fr. Andr. Gottl. Gnüge* in der Anleitung zu dem Kriegsrecht, p. 56.

§. V.

Vitia dolose producta.

Cum juvenum, militiam illis incumbentem detrectantium, & militum militiæ pertæforum, non defint exempla, qui fe unius alteriusve digiti manus detruncatione inutiles fecerunt, vel, certaminibus fingularibus temere fufceptis, fua culpa inhabiles facti funt, & damnum inde in Prin-

cipem redundat; justum est, ut alius militis surrogatione aut mulcta damnum præstent, vel pœna arbitrariâ afficiantur, vid. Dn. *Adr. Beieri* jus militare l. II. tit. III. thes. II.



Cap. III.

De justis missionum caussis.

§. I.

Senium. Si miles senio decrepito eo usque appropinquaverit, ut vel mentis, vel corporis, aut utriusque vires fractæ ad exantlandos militiæ labores non amplius sufficiant, sacramento solvi sumtibusque publicis ali, utique meruit. Senium vero non tam annorum numero, quam virium ratione, æstimandum est; laboriosum enim ac frugale militum vitæ genus corpus firmat longamque juventutem reddit; cui accedit, milites, inprimis ordinum ductores, veteranos, in officiis militaribus explendis, prudentissimos atque exercitatissimos esse. Notabile hujus rei documentum in supplementis libri II. *Q. Curtii Rufi* sequentibus verbis propositum est: Alexander ad periculosum persicum bellum non juvenes robustos, nec primæ ætatis flore, sed veteranos plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisque militaverant, elegit. Ordines quoque nemo, nisi sexagenarius, duxit, ut, si principia castrorum cerneres, senatum alicujus priscæ reipublicæ videre, diceres.

§. II.

Morbi interni.

Omnes tam mentis, quam corporis morbi interni nullam curationem admittentes, atque officia militaria impedientes, justas missionum caussas constituunt; quo omnes cap. II. §. II. enumerati pertinent. De mania insuper speciatim notandum est, quod, licet curata esse videatur, attamen haud raro recurrat, nec ejusmodi subjectis officia militaria satis tuto concredi possint.

§. III.

Externi.

Consimilis vitiorum incurabilium, labores militares exsequi haud sinentium, cap. II. §. III. enumeratorum, ratio est. Dn. *Adrian. Beier* in jure militari l. II. tit. III. si quis, inquit, in bello vitium contraxerit, quod eum inidoneum reddit, caussaria missione ablegandus est. Sed & morbi interni atque externi missionum caussas præbituri ab arte peritis antea investigandi, atque in foro militari pronunciandi sunt. Digestorum l. XLIX. tit. XVI. §. XIII. missionis caussaria est, cum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Codicis l. XII. tit. XXXVI. §. VI. Milites non temere dimittantur; nisi quos constet, Medicis denunciantibus, & judice competente diligenter examinante, vitium contraxisse.

* * *

Cap. IV.

De caussis temporariam militum vacationem atque curationem desiderantibus.

§. I.

Morbi. Cum ad labores militares subeundos exantlandosque virium integritas requiratur, illæ autem variis morbis, tam acutis, quam chronicis, labefactari possint; ut milites iis correpti ab officiis militaribus actutum eximantur, illisque de conveniente diæta, pharmacis atque medicis experientissimis prospiciatur, oppido necessarium est. Militum autem est, ut, in quos inciderunt, morbos præfectis suis statim, antequam exasperentur, indicent, quo tempestiva eorum cura haberi possit, vid. ill. *C. de Khevenhüller* l. c. pr. I. p. XXXIV.

§. II.

Febres intermittentes. In febribus intermittentibus, etiam diebus febre vacuis, vacatio ægrotis concedenda est; nam etiam in his medicandi sunt, atque necessaria excretionum, inprimis periphericæ ratio habenda est; quæ excubiis, etiam cœlo immiti noctuque habendis, aliis militaribus exercitationibus, non sine periculo turbarentur.

§. III.

Morborum neglectus damnosus. Leviores etiam morbi, in principio suo neglecti, altiores radices agunt, & curatu difficiliores, sumtuosi-

tuosiores, quandoque etiam incurabiles fiunt: ergo incidentes militum morbos negligere, illorum domino damnosum, ipsisque ægrotis, vel sua, vel aliorum culpa, perniciosum, & quandoque exitiosum est, v. c. hæmorrhoidibus fluentibus laborantes nonnullorum dierum quiete integram valetudinem ut plurimum recuperant, illis autem vel aëris injuria, vel valentiore corporis exercitatione retroactis, in gravissimarum inflammationum pericula incidunt. Febris intermittens statim recte tractata curabilis, neglecta vero, vel male tractata curatu perdifficilis est, atque haud rare in febrem habitaulem atque hydropem, quævis auxilia respuentes, degenerat. Hernia inguinalis leviora sui signa prodens interdum arceri potest, sed confirmata militiæ inhabilem reddit. Gonorrhœa maligna recens statim recte tractata citam eamque perfectam curationem recipit: at quanti sumtus, quantaque opera, si inveterata sit, vel in luem veneream degeneraverit, impendendi sunt? curatione nihilominus haud semper ex sententia succedente. Consimilis & aliorum morborum neglectorum, vel sinistre tractatorum, ratio esse solet.

§. IV.

Convalescentia expectanda.

Ad labores militares iterum subeundos ipsius morbi profligatio non sufficit; sed convalescentibus exemtio ab illis tam diu concedenda est, usque dum morbi consectaria etiam cessaverint, atque plenaria virium integritas redierit, v. c. febribus superatis, sudor, vel saltim aucta perspiratio, nonnullas hebdomades, maxime circa horas, quas accessio febrilis antea oc-

cupaverat, continuare solet, & nisi custodiatur, febris redit, atque in corpore iam debilitato deterioris indolis fit, vel illius vices alius morbus sonticus, v. c. hydrops, tabes &c. excipere potest.

****

Cap. V.

De militum testamentis.

§. I.

Testantium privilegia. In testamento faciendo milites, maxime in castris versantes atque in officiis bellicis exsequendis constituti, pluribus privilegiis gaudent, v. c. quod duo testes sufficiant, nec in illo scribendo juris civilis cautelas ritusque observare teneantur. Digestorum l. IX. §. I. & XL. Imperatores, Nerva ac Trajanus, militibus romanis plenissimam testandi potentiam dederunt, ut quoquo modo testari possent. Sed hæc ad solum forum militare pertinent, atque a cl. *Gnügio* l. c. uberius explicantur.

§. II.

Eorum med. dijudicatio. Quando vero de dubio mentis statu testatoris quæstio incidit, tunc utique ex principiis physico-medicis atque ab artis peritis, an testator tum temporis, cum testamentum componendum est, sanæ mentis sit, rite inquirendum atque in foro militari pronunciandum est.

Cap.

Cap. VI.

De rationibus physico-medicis militum actiones contra articulos militares admissas ex parte, vel in totum excusantibus.

§. I.

Ebrietas. Si miles, non ex mala consuetudine, sed caussa occasionali, ebrius factus mandatum acceptum non exsecutus fuerit, vel alio modo aliquatenus peccaverit, ebrietatis quidem, non autem præcepti neglecti, culpa tenetur; major enim ebrietatis gradus rationis usum atque muneris exsequendi capacitatem ad tempus aliquod tollit. Cui accedit, quod interdum in præfecti, mandatum ad illum deferentis, eumque in summa ebrietate deprehendentis, potestate fuit, ut id loco conveniente indicaret, atque sobrii substitutionem procuraret, vid. cl. *Köstka* observ. militarium p. LIX. Secundum jus romanum per vinum lapsis capitalis pœna remittebatur, ac militiæ mutatio irrogabatur. Digestor. l. XLIX. tit. XVI. §. VI.

§. II.

Ira. Ubi miles, ceteroquin non rixosus, aut cerebrosus, magna injuria provocatus, vehementem iram collegerit, illaque flagrante illicitum quid commiserit, vehementibus animi pathematibus, maxime inprævisis, rationis usum & facti deliberationem excludentibus, illorum,

 rum,

rum, in sententia ferenda, ratio utique habenda est.

§. III.

Morbi mentis. Miles majori melancholiæ gradu, vel mania, etiamsi nonnisi periodica sit, correptus, præsente morbo, libere agere, actiones suas ponderare, atque legibus bellicis accommodare nequit. Si igitur in tali mentis statu prohibita patraverit, medicandus, non autem pœna afficiendus est. Apud Romanos juris erat, ne in militem, morbo aut mania correptum, ubi se ipsum vulneraverit, vel mortem sibi consciverit, animadverteretur. Cl. *Eberh. Hoyems* in den Anmerkungen über das Churfürstliche Brandenburgische Kriegsrecht in puniendo homicidio, vel attentata avthochiria, ad mentis morbos, v. c. melancholiam & maniam attendendum esse, recte monuit.

§. IV.

Corporis morbi. Morbi nonnulli subito ingruunt, & quidam cum mentis eclipsi conjuncti sunt, v. c. lipothymia, catalepsis, convulsiones tonicæ ac clonicæ, affectus soporosi, insultus apoplectici, quin & febres acutæ interdum statim cum delirio coniunctæ sunt. Si igitur miles in officio constitutus ejusmodi morbo corripitur, illique sustinendo ineptus redditur, tunc pœna locum non habet, sed potius de auxilio quantocyus ferendo cogitandum est. Digestorum l. XLIX. tit. XVI. §. XIV. præceptum est, ut miles, qui commeatu spatium excessit, emansoris vel desertoris loco habendus sit,

sit, nisi se, valetudine impeditum fuisse, probaverit. De morbis milites excusantibus, vid. cl. *Kostka* l. c. p. CCXXXVI. Cl. *Gnüge* l. c. p. CCXCIII.

Schol. I. Si morbus id sinit, miles eo correptus aliis, in proxima vicinia excubias agentibus, de auxilii necessitate vociferando signum dare tenetur; quod tamen in morbis cum mentis eclipsi conjunctis & vocis usum impedientibus locum non habet.

Schol. II. An militem in excubiis agendis somno correptum præfectus, vigilias circumiens, statim occidere possit? quæstio incidere solet; quod prudentiores recte negant; caussa enim nondum investigata nulla executio locum habet. Si militi laboribus militaribus jam prorsus fatigato excubiarum officium imponitur, ultra vires niti, & somnum pellere nequit. Nec desunt morbi somni speciem præ se ferentes, v. c. lipothymia, catalepsis, rigor a magno gelu, apoplexia, vid. cl. Dn. *Gnüge* l. c. p. CCXCIII.

****

Cap. VII.

De tortura.

§. I.

An locum habeat? Cum plures modi veritatem eruendi dentur, torturam e foris prorsus proscribendam esse, eruditissimorum scriptorum plures judicarunt; de qua

qua re in jurisprudentia medico - criminali uberius agam. Apud Romanos milites haud tortos fuisse, ex Digestorum l. XLIX. tit. XVI. §. III. elucet. Tortura etiam nunc in foro militari haud facile decernitur, sed militi, de scelere non prorsus convicto, pœna extraordinaria decernitur, videl. *Lünigius* l. c. p. MCCCCXXX. Dn. *Gnüge*. l. c. p. CCCCXLIII. inquit: Da die Tortur leicht eine Untüchtigkeit zum Dienst verursachen kan; so muß man nicht leicht zu derselben schreiten.

§. II.

Quando obtineat? Ob prægnantes tamen rationes, v. c. delicta atrocia, dolorifica veritatem eruendi remedia in rigorosa militum quæstione subinde adhibentur, v. c. fustigatio, pollicum compressio in pulveris pyrii pyxide machinis ignivomis annexa, (das Schrauben der Daumen in den Flintenschlössern,) adustio fune ignito; (das Luntenbrennen, tunc enim non amplius ut milites, sed ut malefici, considerantur, vid. notæ Hoyerianæ über das Brandenburgische Kriegsrecht, art. LXXXVIII. Apud Romanos proditores & transfugæ, non pro milite, sed pro hoste habiti, exauctorati, torquebantur, & capite ut plurimum plectebantur. Digest. l. XLIX. tit. XVI. §. VI. Ne quid tamen nimis fiat ac irreparabile damnum sanitati inferatur, etiam tunc cavendum est, vid ill. *C. de Khevenhüller* l. c. p. XIX.

§. III.

§. III.

Si miles inquisitus febre acuta vel intermittente, articulorum morbo, lue venerea, aut periodico sanguinis vel seri profluvio laborat, durante morbo nulla quæstionis rigorosæ species locum habet, ne morbus exasperetur, vel dictæ excretiones cum valetudinis damno sufflaminentur.

Morbi eam differentes.

§. IV.

Prima adolescentia, senectus provectior, hæmoptysis, phthisis, fonticæ viscerum læsiones, febris hectica, variæque hydropis species, sive hi morbi jam antea extiterint, vel post longiorem in carcere detentionem demum exorti sint, torturam vel prorsus, vel saltim majores ejus gradus, avertunt.

Caussæ eam avertentes.

Cap. VIII.

De pœnis corporum afflictivis, atque ultimo supplicio.

§. I.

Post factorum legibus militaribus prohibitorum patrationem, caussa cognita, pœnæ corporis afflictivæ secundum dictas leges, juste quidem

Pœnæ corp. afflictivæ.

dem decernuntur atque sumuntur; ne tamen sanitatem destruant, ratio habenda est: ergo I. carceres, in quibus miles pœnæ loco detinetur, haud squalidi, frigidi aliove modo insalubres, nec, quibus sustinentur, aliementa corrupta aut alia ratione valetudini nociva sint. II. Opera publica a damnatis exantlanda viribus proportionata sint, ne has infringant ac sanitati inimica sint. III. Si quis fuste, virgis aut loris castigandus est, (mit Spitzruthen oder Steigriemen,) talis pœnæ modus habendus est, ne puniendus gravium morborum vel vitæ periculum incurrat. Ubi quis pœna afficiendus morbo detinetur, illa, usque dum hic transierit, differenda est.

§. II.

Ultimum suplicium. Si miles alterum in certamine culpose occiderit, post caussæ ventilationem, ultimo quidem supplicio, non tamen a carnifice exequendo, afficitur, machinarum, scilicet ignivomarum globulis a commilitonibus suis trajicitur, vid. cl. *Gnügius*, l. c. p. CXXXIII. Malitiosi desertores laqueo suffocari solent. Haud raro tamen a belli Dominis pœna extraordinaria substituitur, &, v. c. opere publico, pœnis §. præd. n. III. enumeratis, gradus imminutione aut ignominiosa missione reus punitur. Digestor. l. XLIX. tit. XVI. §. XIII.

§. III.

Supplicium infame.

Dantur tamen ſcelera, quæ militibus infamia atque capitalia ſunt, v. c. læſæ majeſtatis crimen, proditio, rebellio, doloſum homicidium &c. propter quæ per carnificis manum ultimo ſupplicio afficiuntur. Apud Romanos milites pacis turbatores capite plectebantur. Digeſt. l. c. §. XVI.

§. IV.

Supplicii dilatio.

Non deſunt cauſſæ morales atque phyſicæ, propter quas ultimum militis ſupplicium aliquamdiu differri ſolet, v. c. ad conſternatum animum colligendum, pœnitandum atque ad ſolatium ex verbo divino recipiendum, aliquod tempus recte illi conceditur; quin & morborum acutorum, pœnæ capitali ſubeundæ impedimenta ponentium, tranſitus expectandus eſt.

§. V.

Cauſſæ ſupplic. avertentes.

Cum miles majori melancholiæ gradu, delirio acuto, aut mania laborans libere agere nequeat; in illo,, poſt damnum datum, neque pœnæ corporis afflictivæ, neque ultimum ſupplicium locum inveniunt; cujus rei in juris medico-criminalis pertractatione uberiorem mentionem faciam.



PARS



PARS V.

DE JURISPRUDENTIA MEDICO-ECCLESIASTICA.

CAP. I.

De caussis huc spectantibus generatim agens.

§. I.

Quæst. juris med. eccles. In foro ecclesiastico quæstiones haud raro ventilantur, quarum decisiones a principiis physico-medicis dependent, vel ad hæc saltim respectum habent; adeoque ante eorum decisionem Medici audiendi sunt.

§. II.

Exempla. Quæstiones de monstrosorum baptismate, de sacra synaxi in dubio mentis statu, de jejuniorum ecclesiasticorum observatione, de sacra periculose decumbentium cura, de habilitate ordines ecclesiasticos recipiendi, de caussis dignitates atque officia ecclesiastica tollen-

tollentibus vel ea non auferentibus, de illibato virginitatis statu, de ingravidatione, de habilitate ad conjugium ineundum, de justis divortii caussis, de verbis & factis irreligiosis in dubio mentis statu constitutorum, de dæmoniacis atque de autochirorum sepultura, pertinent.

Schol. Quasnam ecclesias christianas hæ vel illæ leges juris medico-ecclesiastici speciatim respiciant, ex illarum doctrinis ac disciplina, & harum tenore, ultro patet.



Cap. II.

De monstrosorum baptismate.

§. I.

Sexus dubius.

Dubium de recens nati sexu subortum accuratiore partium genitalium inspectione discuti potest. Puppæ clitoride propendente præditæ, & pusiones rimam cœcam in perinæo habentes, hermaphroditorum speciem præ se quidem ferunt; cum autem a mentula virili clitoris structura differat, atque urethra careat, nec non a cunno rima perinæi cœca multum distet; notis his sexus fœtus facile distinguitur, vid. *Casp. Bauhini libri II.* de hermaphroditi monstrosarumque partium natura, Oppenh. MDCXLIV. *Ern. Reyheri* tr. de hermaphroditis, Arnstad. MDCLXXXVIII. *James Parson* a mechanical and critical enquiry in to the nature of Hermaphrodites, Lond. MDCCXLI.

MDCCXLI. Comment. Societ. Reg. Scient. Gœtting. tom. I. MDCCLI.

Schol. Fœtus partibus genitalibus prorſus carens rariſſime in lucem editur; ejus tamen exemplum vidi & in jure medico-civili c. IV. retuli. In hoc etiam ſtatu quædam ſexus notæ in coccygis oſſe, coſta ultima ſpuria atque claviculis ſuperſunt; iſtud nimirum puſionibus antrorſum curvatum, puppis rectum, illa iſtis brevior, his longior, atque hæ illis magis incurvæ, his rectiores ſunt.

§. II.

Monſtra humana. Ex diverſi ſexus hominibus nonniſi homo procreari ac naſci poteſt; ſi igitur fœtus humanus vivus a forma conſueta plus minusve recedens vel monſtroſus, v. c. uno capite & trunco præditus, ſed una alterave extremitate abundante, vel deficiente, vel male formata partu editus eſt; juribus eccleſiaſticis gaudet, & ſacro baptiſmatis fonte, ut homo, initiandus eſt, vid. *Jo. Planci* tr. de monſtris & monſtroſis. Venetiis MDCCXLIX.

§. III.

Bicorporea. Quando duo fœtus, ceteroquin perfecti, unius vel diverſi ſexus, leviter, v. c. circa epigaſtrium, dorſum, vel lateraliter inter ſe concreti ſunt, his duplicis hominis jura tam civilia, quam eccleſiaſtica, competere, extra dubium poſitum eſt. Interdum vero fœtus humanus monſtroſus duplici capite, uno trunco & pluribus extremitatibus, v. c. quatuor brachiis totidemque pedibus, forte etiam duabus unius, vel diver-

diversi sexus partibus genitalibus nascitur, qui etiam duarum animarum actiones inter se discrepantes edit, & duplici nutritione eget, & hic etiam pro duplici homine, simili jure prædito, habendus est. B. m. Dn. *Christ. Gottl. Ludwig* in institutionibus medicinæ forensis, §. CCCCVIII. si biceps, inquit, fœtus est, corpore uno, nec aliis membris duplicatis; ob capitis dignitatem, & hinc nervorum origines distincte productas, duplicem hominem, membris quibusdam mutilatis, natum esse, jure defenditur.

****

CAP. III.

De sacra synaxi in dubio mentis statu.

§. I.

Cum rectus sacræ synaxeos usus mentem sanam religionisque plenam supponat; eam delirio acuto, vel chronico perdurante, laboranti exhibere, minime convenit; nec ejus privatio, ob hanc caussam, culposa aut damnosa est.

Locum non habens.

§. II.

Quandoque in febribus acutis male judicatis accidit, ut brevi morituris mens per unius alteriusve horæ spacium redeat ac constet, & tunc quominus ad sacram synaxin admittantur, nihil impedit. Datur etiam mania periodica, longiora intervalli lucidi spatia admittens, quo durante, ægrotus a

Eum habens.

facræ cœnæ ufu haud excludendus eft. Deliriorum autem intermiffiones a Medico omnium optime dijudicari, atque Sacerdotibus in tempore indicari poffunt.

Schol. Calices facris ufibus deftinatos ex auro, argento aut ftanno, puris, non autem ex ære vel aurichalco conficiendos effe, in jure canonico Decret. pr. III. diftinct. I. c. XLV. recte præceptum eft; cum hæc, ob vini naturam, æruginem, vomitus cientem, pariant. Hæc autem cautela ad politiam ecclefiafticam proprie pertinet.



Cap. IV.

De jejuniis ecclefiafticis.

§. I.

Morbi illa admittentes. Dantur morbi quidam jejunia, in ecclefiis quibusdam chriftianis præcepta, minime tollentes; quin ad nonnullos minuendos vel profligandos hæc potius faciunt, quo illos, qui a plethora originem ducunt, nec non articulorum morbos, refero. Hoc etiam in Decret. pr. III. diftinctione V. cap. XXX. recte traditum. Ob illos igitur, ex præconcepta opinione, jejunia detrectantes, erroris fui a Medicis convincendi funt. Quin dolofam morborum fictonem teftimoniis fulcire, Medicum probum, etfi alii cultui divino addictus fuerit, dedecet. Illos errores atque dolos, non autem genuina medicinæ præcepta & Medicos veritatis amantes,

tes,

tes, Decret. l. c. cap. CXXI. sequentibus verbis notatos esse, arbitror: divinæ cognitioni præcepta medicinæ contraria sunt, a jejunio revocant, lucubrare non sinunt, & ab omni meditationis intentione abducunt; itaque, qui se Medicis dederit, se ipsum abnegat.

§. II.

Morbi illa non ferentes.

Alii contra morbi ab olighæmia, vel humorum cacochymia pendentes, & cum magna virium prostratione conjuncti, jejunia minime ferunt, sed eorum observatione in pejus ruunt, & in talibus casibus, a prudente Medico dijudicandis atque in foro ecclesiastico pronunciandis, exceptio a regula locum justissimum invenit. Morbosis ejusmodi statibus, etiam respectu Clericorum, Decret. l. c. cap. XVI. XXV. & XXXII. præcepta accommodata sunt: quadragesima observatione summâ observanda est, ut jejunium in illa nullatenus solvatur, nisi quem infirmitas impediverit. Monacho, jejuniorum temporibus, carnem gustare non licet, servato tamen pietatis erga ægrotos moderamine. Non a cibis, sed ab iniquitatibus, abstinere, magnum & generale jejunium est, conf. *Wildvogel* in diss. de eo, quod circa jejunium quadragesimale, antipaschale, adventus, & IV. temporum, justum est.

CAP. V.

De sacra periculose decumbentium cura.

§. I.

Medici officium.

Plures ob rationes, ut ægrotos vel eorum consanguineos, curatores,

vel dominos, de morbi periculo in tempore modeſte admoneant, nec temerariis promiſſis inanem illorum ſpem alant, neceſſarium eſt; ut ſcilicet tam reſpectu ſacrorum, quam fortunarum ſuarum, ea procurare poſſint, quibus facto opus eſt.

§. II.

Alterum. Si ipſi ægroti vel ejus conſanguinei &c., licet admoniti, nimium tardi, incurii, atque ſalutis ſuæ negligentes ſunt; Medici id animadvertentes, illos, penes quos ſacra animarum cura eſt, per nuntium commodum, de periculoſo ægrotantis ſtatu recto tempore certiores faciant; quo ad ea, quæ illorum officium requirit, animum advertere, illaque perficere poſſint. Improvidus harum cautelarum neglectus ne tunc quidem Medicum excuſat, ſi alii eccleſiæ addictus eſt.

CAP. V.

De habilitate & impedimentis ordines & officia eccleſiaſtica recipiendi.

§. I.

Mentis morbi. Senſu communi carentes & mente capti ad ordines atque officia eccleſiaſtica ſuſcipienda haud idoneos, adeoque ad illa non admittendos eſſe, per ſe clarum eſt.

§. II.

§. II.

Corporis vitia.

A sacris officiis corpore sua culpa vitiati Decret. pr. I. distinct. LV. c. I. prohibentur. Eos, qui se ipsos propria voluntate mutilaverint, v. c. virilia amputaverint, vel digiti partem volentes absciderint, non ordinandos esse, l. c. c. II. stabilitum est. Quin & vitia casu quidem contracta, sed muneris ecclesiastici executionem impedientia, ad hoc suscipiendum inhabiles reddunt, l. c. cap. LXXVII. qui mutus, surdus aut cœcus est, Episcopus non efficitor; ne munera ecclesiastica impediantur.

§. III.

Casu contracta.

Ubi vero corpus non propria culpa dolove, sed casu, aut vi externa, vitiatum est, id suscipiendis ordinibus atque officiis ecclesiasticis impedimenta non ponit. Decret. pr. I. distinct. LV. c. VII. qui ab hostibus, aut a dominis, aut a Medicis, propter languorem, excisus est, ad clerum suscipi, & in eo manere potest. Cap. X. Si quis in infirmitate Medicorum incisione claudus efficitur, eum ad sacros ordines promoveri, non denegamus. Canon sanct. Apostolorum XX. Si quis humana violentia evnuchus factus est, aut in persecutione virilia ei amputata sunt, aut ita natus fuit, & dignus est, Episcopus efficitor. Canon sanct. Apost. LXXVI. Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, & dignus sit, Episcopus efficitor; non enim corporis illum mutilatio, sed animæ inquinatio, polluit.

§. IV.

Defectus falso cred. Quod embryonibus masculis commune est, testiculos non in scroto, sed in sacculo peritonæi celluloso latere, id quandoque etiam in recens natis, rarius in adultis, observatur, scil. quod nonnisi unus, vel nullus testiculus in scrotum descenderit, & tunc monorchides vel crypsorchides dicuntur, ac minime impotentes sunt. Masculos genitalibus carentes rarissime nasci, supra c. II. §. I. in schol. dictum est. Quidquid autem horum sit, illud sacris ordinibus atque officiis suscipiendis impedimenta non ponit, uti §. præced. ex canone sanct. Apostol. XX. relatum est. Teste Dn. *Teichmeyero* in med. legal. c. XV. p. CXXVII. crypsorchides ad generandum atque ad clericatum idonei sunt.



Cap. VI.

De caussis dignitatem & officia ecclesiastica tollentibus vel relinquentibus.

§. I.

Tollentes. Quem ad modum voluntaria corporis sui mutilatione honoribus atque officiis ecclesiasticis se indignum quis reddit, ita pari jure in officio ecclesiastico jam constitutus, se ipsum data opera lædens, dignitate atque munere suo excidit. Canon sanct. Apostol. XXII. si quis, cum clericus esset, virilia sibi ipsi ampu-

amputavit, deponitor; ſui enim ipſius homicida eſt.

§. II.

Limitantes.

Quædam corporis vitia dignitates atque officia eccleſiaſtica tantum limitant. Decret. Gregor. l. I. t. IX. c. VI. Mutilatus manu, ſi promotus fuerit in Abbatem, ab abbatia deponitur, l. III. tit. VI. c. II. Presbyter, cui palmæ medietas cum duobus digitis eſt abſciſſa, miſſam non celebrat; ſed cæteris ſacerdotalibus fungi poteſt. Decret. pr. I. diſtinct. LV. c. XIII. Cui oculus erutus eſt, ſacerdotis jura præſtanda non ſunt. Decret. Greg. l. I. tit. XX. c. I. Presbyter, qui duello digiti partem amiſit, ex Epiſcopi ſui diſpenſatione, in ordine ſuo diſpenſare poteſt, l. c. cap. IV. Sacerdos, qui ſine cauſſa virilia ſibi fecit abſcindi, credens inde mereri, de Epiſcopi diſpenſatione officium, præter altaris miniſterium, exercere poterit.

§. III.

Non impedientes.

Si quis, ad majus malum evitandum, & mortis periculum arcendum, corporis ſui mutilationem, curationis ergo, admiſerit, dolo & culpa vacans, dignitatem atque officium merito retinet. Decret. Gregor. l. I. tit. XX. c. V. Sacerdos, qui ex juſta cauſſa, virilia ſibi abſcindi, permiſit, ſacerdotale officium, ut prius, exercere poteſt.

§. IV.

Morbi ad tempus excuſantes.

Corporis infirmitate ad tempus laborans & dignitatem, & beneficia ſibi collata, merito retinet;

ſed ab officii præſtatione tamdiu liber eſt, uſquedum cum valetudine ſecunda in gratiam redierit, viresque ad munus ſuum explendum neceſſarias recuperaverit. Decret. pr. I. diſtinct. LV. c. XII. Dignitas ſanitatis tempore accepta, ſequente debilitate, non amittitur. Decret. pr. II. cauſſa VII. quæſt. I. cap. XV. & XVI. Ægroti ſacerdotis vices alius ejusdem ordinis ſuſtinere poteſt; ſic non ſolum fragilitati humanæ conſulitur, ſed etiam ſacro myſteriorum Dei honori provida cavetur ſollicitudine, l. c. quæſt. II. Sacrificiorum celebrationem ſi quis infirmitatis cauſſa dimiſerit, illa, valetudine recuperata, exequi non prohibetur.

§. V.

Officium limitantes.

Si, ob ſenectutem vel corporis infirmitatem, quis ad quævis ſua officia implenda haud idoneus eſt; ad illa tantum obligatur, ad quæ præſtanda vires adhuc ſufficiunt. Decret. Gregor. l. I. tit. IX. c. I. Epiſcopo, qui propter ſenectutem vult cedere, non datur cedendi licentia, ſi eccleſiæ ſuæ neceſſarius vel utilis ſit.

§. VI.

Semper excuſantes.

Ubi quis decrepita ſenectute, vel morbo incurabili, ita labefactatus ſit, ut officio ſuo præſtando impar ſit, dignitatem & beneficia ſua merito retinet, atque alii, ad id idoneo, officium interea ſuſtinendum committitur. Epiſcopo ſenectute vel morbis gravato coadiutorem dandum eſſe,

esse, Decret. pr. II. caussa VII. quæst. I. c. VII. præceptum est. Hoc etiam Decret. Gregor. l. III. tit. V. sequentibus verbis concessum est: Episcopus senio vel infirmitate perpetua impeditus, de capituli sui consensu, coadiutorem sibi assumere potest, l. c. cap. IV. Si ecclesiæ rector sit leprosus, ab administrationis officio quidem removetur, sed ecclesiæ bonis sustentatur, l. c. tit. VI. c. I. beneficii sui fructus clericus infirmus integre percipit.

****

Cap. VII.

De virginitate.

§. I.

Quæstiones de illa.

Si I. quædam de stupro sibi, virgini, illato queritur, vel II. ubi virginem se quædam affirmat, &, coitum admisisse, negat, ventris inspectio a judice decerni solet, ut ex signorum virginitatis absentia vel præsentia verum indagetur.

§. II.

Ejus signum præcipuum.

Inter virginitatis signa hymen inprimis refertur, qui est ruga valvulosa perforata ex cute atque epidermide facta, in vaginæ ostio, ab inferiore ac posteriore ejus parte, ad urethram usque extensa. In recens natis utplurimum semicircularis, in impuberibus rotundus, in maturioribus vero falcatus esse solet solique homini datus est. Ejus perpetua in

in virginibus præſentia, contra nonnullorum opinionem, obſervationibus anatomicis ſatis confirmata eſt. Dn. *F. Ruyſch* theſaur. anat. III. p. XIII. an detur, inquit, hymen, nec ne? olim ſub judice lis fuit; hoc autem tempore in anatomia magis verſatis nihil notius eſſe poteſt. Teſte Dn. *I. B. Morgagno* de ſedib. & cauſſis morb. per anatomen indagatis, l. III. epiſt. XLVIII. art. I. hymen præcipua, ſi quæ alia, virginitatis nota eſt, conf. *F. I. B. Gœringii* diſſ. de hymene. Argent. MDCCLXIII.

Obſ. Laſcivarum adoleſcentularum, digito aliove inſtrumento hymenem rumpentium exempla non deſunt; adeoque ex ejus abſentia ad admiſſum coitnm non ſemper tuto concluditur.

§. III.

Alia ejus ſigna.

Ad virginitatis ſigna vaginæ arctitudo, atque inde pendens dolorifica viri admiſſio, pertinet. Dein ſub primo concubitu contingens ſanguinis profuſio; cujus ſigni Devteron. c. XXII. v. XVII. mentio facta eſt. Denique partium genitalium poſt primam coitus admiſſionem cruentatio, intumeſcentia & inflammatio; quæ vero nonniſi paucos dies durant, poſtea vero brevi factæ deflorationis ſigna eſſe ceſſant, vid. *Mart. Schurigii* parthenologia. Dreſdæ MDCCXXIX. *Sev. Pinæus* de virginitatis notis, Lugd. Bat. MDCCL. *Car. Frid. Kaltſchmied* diſſ. de virginitate, Jenæ MDCCL. *Theod. Tom. Weichhardi* comment. de ſignis virginitatis & graviditatis, Lipſiæ MDCCLXXVII.

§. IV.

§. IV.

Ventris inspect. a quibus instit.

Ventris inspectio, jubente judice, ab obstetricibus artis suæ probe peritis peragi solet. Digest. l. XXV. tit. IV. ut feminam tres obstetrices probatæ artis & fidei inspiciant, præceptum est. In nemesi Carolina art. XXXV. idem his verbis innuitur: Die Dirn soll durch verständige Frauen an heimlichen Stätten besichtiget werden. Huic autem investigationi tunc demum aptæ sunt, si partium genitalium structuram & conditionem in virginibus, recens defloratis, gravidis, & partum ante breve tempus enixis, sufficienter noscunt; quod vero, ob plurimarum inscitiam, non nisi in pauciores cadit. Medicis ergo, corporis structuram & statum naturalem ac præternaturalem, probe intelligentibus, tutius committitur, vid. *Herm. Fried. Teichmeyeri* instit. med. legal. c. IV. §. IV. *Georg. Beyeri* delin. jur. crim. p. LIX. *Zittmanni* med. forens. p. DCCXLVII. & DCCXCVII.

§. V.

Quo modo instituenda.

Ut muliebria quoad singulas partes in loco lucido solum oculis lustrentur, sed etiam modesta digitorum applicatione interiorum status in tantum investigetur, in quantum id quæstio a judice proposita exigit, accurata ventris inspectio exposcit; quo firmum de virginitate, defloratione recens facta &c. judicium ferri, atque inventa in foro pronuntiari possint. *Jo. Bohnius* de offic. Med. forens. c. IV. p. DCVII. in virginitate dubia, non inspectione tantum, sed

manus

manus quoque admotione, muliebrium habitudo tentanda est.



Cap. VIII.

De ingravidatione.

§. I.

Investiganda. Cum imprægnationem, suspectæ mulieres sæpius dissimulent, quandoque etiam sublestæ famæ subjecta eam, lucri captandi caussa, simulent; judicis utique interest, ut de ejus præsentia vel absentia instruatur, & hanc ob caussam ventris inspectionem decernit, que ab artis obstetricandi peritis tutissime peragitur; cum vulgarium obstetricum ignorantiæ minime fidendum sit, vid. *Abr. Vatetti* diss. de ingravidatione dissimulata ac dissimulandi mediis. Wittenb. MDCCXXIV.

§. II.

Ejus signa. Plura graviditatis signa, partim certiora, partim incertiora, dantur, quæ tamen omnia simul sumta artis obstetricandi peritum haud fallunt, ita, ut eam a morboso abdominis tumore facile distinguat. In hunc censum veniunt I. menstruorum obstructio, non ex caussa morbosa contingens, nec cum hujus symptomatibus conjuncta; licet nonnullis primis gestationis mensibus paucus sanguinis vel seri fluxus ex naturalibus contingat, atque earum lotio seri coagula, vellerum instar, innatent, vid.

com-

commerc. liter. Norimb. MDCCXXXVIII. p. LXVII. & Dn. *Jo. Hadr. Slevogtii* diſſ. de menſibus gravidarum. II. Ciborum faſtidium ac vomitus matutinus. III. Succeſſiva abdominis intumeſcentia, & globi duri, ſeu uteri expanſi, in regione hypogaſtrica ſenſus, ejusque lapſus in illud latus, in quod femina gravida decumbit. IV. Mammarum intumeſcentia, pedetentim augmenta capiens, & ſeri lactis ex papillis profluvium. V. Vaginæ uteri elongatio, atque uterus, in pelvi ſpatium non amplius inveniens, ſurſum tractus, vid. *Fr. Ruyſchius* in præparat. anat. rariorum catalogo p. CXVIII. & theſaur. anat. VIII. p. VII. VI. Os uteri internum clauſum, molle & fere planum, ut digito tangenti oculi palpebris clauſi ſenſum præbeat. *Hippocrates* ſect. V. aphor. LII. inquit: quæ utero gerunt, his uteri os comprimitur. Uteri autem vacui os, ut globus protuberans, rima transverſa digiti apicem admittente præditum ſentitur.

§. III.

Ulteriora.

Circa medium geſtationis tempus embryo adeo excrevit, ut motibus voluntariis vitæ ſuæ ſigna edere poſſit, quos non ipſa ſolum gravida, ſed etiam alii, manum frigidiuſculam regioni hypogaſtricæ imponentes, clare ſentiunt, vid. Dn. *Abr. Vateri* diſſ. qua uterus gravidus phyſiologice & pathologice conſideratur. Wittenb. MDCCXXV. *G. W. Wedelii* diſſ. de gravidarum notis. Jenæ MDCCXXV. Dn. elem. art. obſtetr. c. VIII. Gœtt. MDCCLIX. Dn. *Steinii* diſſ. de ſignorum graviditatis æſtimatione. Gœtt. MDCCLX.

Schol.

Schol. I. Ubi circa graviditatis initium dubia quædam remanent; femina de illa ſuſpecta cuſtodienda eſt, donec, an graviditas vel morbus catameniorum obſtructionem attulerit, ſatis conſtet; illius enim ſigna ultimis geſtationis menſibus manifeſtiſſima ſunt, vid. *Herm. Fried. Teichmeyeri* inſtit. med. legal. c. V. p. XL.

Schol. II. Si mola in utero contenta, poſt fœtus obitum, ex placenta utero adhærente ſuccreſcens, abdomen ſucceſſive expandit, & graviditatis ſpeciem præ ſe fert, non embryonis motus, ſed pondus moleſtum, ſentitur, atque abdominis intumeſcentia ultra modum ac tempus conſuetum aſcendere ſolet, vid. *Frid. Ruyſch* obſerv. anat. XXXIII. & XXXVII. & theſaur. anat. II. tab. IV. *Abr. Vateri* diſſ. de mola prægnante, Wittenb. MDCCXXX. & progr. meum de placentarum uterinarum in molas veſicarias mutatione, Gieſſ. MDCCLXXVI.



Cap. IX.

De perſonis conjugio inhabilibus.

§. I.

Impuberes. Si utraque vel alterutra perſona conjugium initura impubes ſit; hoc diſſadendum eſt; quia mentis culturam, corporis incrementum, tum temporis nondum perfectum, ac ſæpius fortunarum

ſtabi-

ſtabilimentum impedit, morbis quandoque ominoſis præmatura venus in utroque ſexu anſam præbet & liberi debiles procreantur. Teſte b. m. *C. G Ludwig* inſtit. phyſiol. §. DCCCLXX. venus præmatura & libidinoſa utrique ſexui ex eo nocet, quod illæ inde perdantur vires, quæ ad obfirmandum corporis habitum requiruntur. Igitur ad conjugium ineundum pleni pubertatis ac diſcretionis anni multo melius expectantur.

§. II.

Teſtimonia.

Ex *Platonis* conſilio l. V. de republ. virgo XVIII. vel XX. annorum conjugii onera majore ſecuritate ferre poteſt. *C. Corn. Tacitus* in libro de moribus Germanorum l. XX. majoribus noſtris laudi duxit, quod ſera juvenum venus, adeoque inexhauſta pubertas fuerit, nec virgines feſtinatæ ſint; ſed eadem juventus, ſimilis proceritas, pares validique miſti fuerint, ac liberi parentum robora retulerint. Conf. *Frid. Hoffmanni* diſſ. de ætate conjugio opportuna, Halæ Magd. MDCCXXIX.

§. III.

Leges.

Decret. *Gregor.* l. IV. tit. II. c. I. cautum eſt, ne impuberes ambo vel alter, niſi pro bono pacis, conjungantur. Imperatoris *Leonis* conſtitutione CIX. interdictum fuit, ne matrimonium, ſponſa XII. ſponſo autem XIV. annos minore, ſacris ceremoniis confirmaretur.

Obſ. Cum in utroque ſexu corporis vigor interdum præcox ſit, atque ad acceleratum incre-

mentum climata symbolam suam conferant; non semper ex solis annis, sed quandoque ex climatum ac singulari personarum conditione, pubertas æstimanda est, vid. b. m. *C. G. Ludwigii* institut. medic. forens. §. CCCXCV.

§. IV.

Ætas senilis. Senes, maxime qui libidinosam juventutem exercuere, corpus effœtum habent, nec conjugio idonei sunt, quin & illorum plurimi, qui serius coire inceperunt, post annum septuagesimum impotentes fiunt, & feminæ ad annum quinquagesimum appropinquantes, ob ovariorum strigositatem atque uteri rigorem, concipere ac parere ut plurimum desinunt; a conjugio tam tarde ineundo melius abstinent. Ubi vero senis atque vetulæ conjugium, ob solum mutuum adjutorium initur, illud, licet sæpius plus incommodi, quam commodi, post se trahat, reipublicæ non nocet. Nec senis cum juvencula initum matrimonium publica incommoda dare solet; an ipsi autem respectu valetudinis &c. utile sit, ipsemet videat. Senex, se a juvencula amatum iri sperans, multum fallitur, pluraque momenta physica atque moralia adsunt, quæ illum ab incepto tam stolido absterrere deberent. At si anus juveni nubit, damnum in rempublicam inde omnino redundat; cum hæc partum edere haud possit; ut jam sanitatis damna, aliaque incommoda, in ejusmodi maritum cadentia silentio premam; ejusmodi ergo matrimonia publicitus melius prohiberentur.

§. V.

§. V.

Evnuchi & spadonis.

Evnuchi & spadonis conjugium cum anu, cujus pariendi tempus præteriit, vel cum incorrigibiliter sterili, mutui auxilii causa initum, ferri potest. Ubi vero juvenculam vel mulierem pariendo adhuc aptam ducturi sunt, id in reipublicæ damnum cederet, atque a Magistratu publico melius prohibetur. Ne spadones uxores ducant, Imperatoris *Leonis* constitutione XCVIII. interdictum est. Conf. *Hier. Delphini* tr. de evnuchi conjugio, Halæ Magd. MDCLXXXV. *Ben. Ewald* de evnuchis & spadonibus, Regiom. MDCCVII.

§. VI.

Mente l. corpore ægroti.

Cum ad conjugii scopum obtinendum mentis & corporis sanitas requiratur; nec furiosus, nec furiosa, nec corporis morbis aut vitiis incurabilibus, scopo matrimonii obstantibus, affecti, v. c. sonticis viscerum læsionibus, febre habituali, epilepsia, lue venerea, lepra, testibus scirrhosis, conquassatis, uteri vagina concreta, partibus genitalibus deficientibus, ulcere cancroso laborantes conjugium inire possunt. Naturale impedimentum ad coitum, arte Medicorum irreparabile, matrimonium impedit, vid. Decreti pr. II. caussa XXXII. cap. XXVI. & Decret. Gregor. l. IV. tit. XV. c. I.

Cap. X.

De divortiorum caussis.

§. I.

Non caussæ. Morbi tam mentis, quam corporis, qui, durante matrimonio, sine culpa contracti sunt, illud non solvunt, sed alterutrius miseria ab altero patienter ferenda, atque ægroto auxilia, quantum fieri potest, præstanda sunt. Digestorum l. I. tit. VI. §. VIII. furiosus, licet uxorem ducere non possit, matrimonium tamen retinere potest. Decreti pr. II. caussa XXXII. c. XXV. qui matrimonium sani contraxerint, iis, ob infirmitatem, vel corporis damna, conjugia solvi, non licet. Decret. Gregor. l. IV. tit. VII. c. I. lepra superveniens nec matrimonium, nec ejus effectum dissolvit. Leges hæ justo & æquo utique consentaneæ sunt; licet illis constitutiones CXI. & CXII. Imperatoris Leonis refragentur, concedentis scilicet, quod, ob uxoris furorem ultra tres, & mariti ultra quinque annos durantem, matrimonium solvi possit.

§. II.

Caussæ. I. Morbi, conjugii tempore culpose contracti, v. c. lues venerea ex impuro coitu orta, adeoque cum adulterio, atque indubio contagii periculo, conjuncta, justam divortii caussam suppeditant; nisi pars læsa in matrimonii continuationem sponte consenserit.

II. Mor-

II. Morbi insanabiles scopo matrimonii contrarii, ante initum conjugium jam præsentes ac dolose dissimulati, vid. c. X. §. VI. III. Incorrigibilis coëundi impossibilitas in utroque sexu, non demum in conjugio contracta; non autem sterilitas, quæ quandoque non nisi relativa ac temporaria est, justæ divortii caussæ sunt, vid. *Hucheri Bellovaci* tr. de utriusque sexus sterilitate, Genevæ MDCIX. & Coloniæ MDCX. *Jo. Usleber* de utriusque sexus sterilitate, Altorf. MDCLXXII.

§. III.

Impotentia virilis.

Viri impotentia vel temporaria, & sponte vel arte sanabilis est, v. c. quæ a morbo gravi aliquamdiu relinquitur, a nimio concubitu contracta, vel phimosi naturali aut morbosæ debita; vel perpetua & immedicabilis est. Non illa, sed hæc justam divortii caussam suppeditat, v. c. si virga virilis naturaliter deficit, vel ante conjugium amputatione ablata fuit, vel adeo male conformata est, ut ad coitum præstandum prorsus inhabilis sit. Teste *J. B. Morgagno* de sedibus & caussis morborum per anatomen indagatis, l. III. ep. XLVI. art. IX. & X. si corpora penis cavernosa majora desunt, vel non tenduntur, aut urethra non nisi semicanalem format, corpus spongiosum minus justo brevius est, & glans sub tentigine flaccida manet; viri, ex mala penis conformatione, impotentes sunt; quin & hypospadiæi, quibus non in glande, sed sub frenulo, urethra patet, uxores raro imprægnant.

§. IV.

Leges. Licet Decreti part. II. caussa XXXII. quæst. I. assertum fuerit, quod propter impossibilitatem reddendi debitum mulier a viro suo separari non possit; officio scilicet conjugium confirmante: attamen Decret. Gregor. l. II. tit. XIX. sequentia cauta sunt: Marito, se uxorem cognovisse, etiam cum juramento asserenti, non creditur; si uxor per matronas attestantes, per ipsius corporis aspectum, contrarium probaverit, l. c. tit. XV. c. I. Marito, ad divortium provocante, & se impotentem esse, asserente, & muliere hoc idem fatente, matrimonium indistincte dirimi posse, concessum est. Ubi vero, muliere agente, vir se potentem asserat; nisi per corporis aspectum, vel alio indubitato modo convincatur, mulierem audiendam non esse, viro autem confitente vel convicto, matrimonium separari, atque mulieri contrahendi licentiam dari posse, ibidem legimus.

Schol. I. Cum crypsorchides, quorum supra mentionem feci, non solum ad coitum apti, sed aliis etiam salaciores sint; sola scroti vacuitas divortii caussam minime suppeditat.

Schol. II. Hermaphroditos ad alterutrum sexum pertinere, jam supra monitum est, & si de illis quæstio incidit, an conjugium inire, vel in illo manere possint, nec ne? partium genitalium aptitudo aut ineptitudo ad coitum ab artis peritis investiganda, atque in foro ecclesiastico pronuntianda est, vid. *Nic. Matthieu* diss. an hermaphroditus utroque sexu potens? Paris. MDCLXIX.

§. V.

§. V.

Potentiæ viril. investigatio.

Ubi de viri impotentia suspicio vel quæstio oritur, ante omnia ab artis peritis caussæ frigiditatis investigandæ sunt, & si, ut sæpius accidit, non nisi temporariæ existunt, auxiliis idoneis tollendæ sunt; atque id fieri posse, Medicorum doctioribus atque exercitatioribus satis notum est. Experimentum vero quod ad penis erectionem, calore externo admoto, procurandam vulgo suscipitur, viro pudico, in aliorum præsentia, inconveniens esse videtur, nec natura solo calore externo ad venerem excitandam utitur. Procurata corporis sanitas, mentis otium, corporis quies, diæta lauta, moderatus vini generosi potus, &, ubi opus sit, remediorum roborantium extrinsecus atque intrinsecus aliquamdiu continuatus usus, nec non licita cum juvencula pulcra conversatio, multo præstantiora ad frigidos excitandos calefaciendosque auxilia sunt. Morosum neonuptarum quarundam ingenium, verba & facta non amorem contemtum mariti manifestantia, haud raro timidos ac frigidos faciunt, quos natura utique potentes redditit. Teste *H. F. Teichmeyero* in medic. legali, c. XV. p. CXII. Animi affectus venerem primario supprimunt vel excitant. Discordia, morositas, contemtus, iræ, tristitia, corporis immundities ac fœtor illam restringunt; hilaritas contra, blandities, formositas veraque amoris testimonia veneris sensum stimulumque augent. Caussæ morales vel physicæ superabiles, vel incurabiles, ab artis peritis detectæ, in foro pronuntiandæ sunt, & dein a judice, an conjugium continuandum

vel solvendum sit, decernendum est, vid. *Rud. Wilh. Krausii* diss. de frigidis, Jenæ MDCLXXVI. *Andr. Cressii* diss. an, ut virginitatis, sic & virilitatis certa indicia? Paris. MDCCXIII. *Mart. Schurigii* spermatologia historico-medica, Francof. MDCCXX.

§. VI.

Feminarum sterilitas.

Cum sterilitatis caussæ quandoque curabiles sint, interdum in partibus interioribus lateant, adeoque tunc rite dijudicari nequeant, v. c. in nonnullis internum uteri os clausum est, vel tubæ Fallopianæ imperviæ, cum ovariis concretæ, aut ipsa ovaria scirrhosa sunt. His tamen non obstantibus, si femina, maritum admittere potest, licet ceteroquin sterilis sit, in matrimonio retinenda est. Si in artretis hymen columna ita firmatus est, ut viri congressum excludat, id vitium sectione corrigi potest, vid. *de Haller* icon. anat. fasc. I. tab. III. fig. VI. lit. c. Ubi vero tota vagina ante matrimonium concreta est, adeoque via arte aperiri nequit; tunc justam divortii caussam hoc vitium suppeditat. Uterque atretarum casus ab *A. C. Celso* l. VII. cap. XXVIII. sequenti modo descriptus est: feminarum naturalia nonnunquam, inter se conglutinatis oris, concubitum non admittunt. Idque interdum protinus in utero matris evenit; interdum exulceratione in his partibus facta, & per malam curationem his oris sanescendo junctis. In priori casu membrana ori vulvæ opposita est, in posteriori caro id replevit. Conf. *G. W. Wedelii* diss. de atretis, Jenæ MDCCIX. *J. L. C.* Wige-

Wigelii diss. de atretis, Giessæ MDCCLXI. Decret. Gregor. l. IV. tit. XV. c. VI. propter mulieris arctationem, si apparet, quod absque periculo corporali habilis reddi non possit, matrimonium separatur. Si, quod tamen nonnisi rarissime accidit, ex connato vitio uterus prorsus deficit, idem obtinet, vid. *Jo. Bapt. Morgagnus* de sedibus & caussis morborum &c. l. III. ep. XLVI. art. XIII.

Obs. Interdum vaginæ arctitudo, adeoque inde dependens sterilitas nonnisi relativa est, & Dn. *J. S. Strykius* de jure sensuum diss. I. c. I. thes. LV. in casu dubio utrumque sexum, ne judex fallatur & proportio appareat, inspiciendum esse, monuit. Mulieris aliquo modo arctæ exemplum in medicina forensi Lipsiensi cent. VI. c. XXIX. relatum est, quæ a marito debili cognosci non poterat. Hanc pro clausa Medicus atque obstetrices declarabant. Forum ecclesiasticum, hac pronunciatione nixum, matrimonii solutionem concessit. Mulier, a marito separata, postea alium virum admisit, a quo uno coitu imprægnata est. A judicibus interrogata, cur alii corpus subjecisset? se id ideo fecisse, respondebat, quia inhabilis ad matrimonium declarata fuisset.

§. VII.

Aliæ caussæ.

In viduis iterum nubentibus incorrigibilis uteri prolapsus, nec non vaginæ atque uteri ulcera insanabilia, coitum periculosum reddentia, justæ divortii caussæ sunt, vid. *H. F. Teichmeyer* in medic. forensi, c. XVI. p. CXXVIII. Quacunque autem

citra culpam, durante matrimonio demum subortа sunt, pro justa divortii caussa allegari nequeunt; sed patienter ferenda sunt, vid. *Adami Molnari* diss. de caussis sterilitatis in utroque sexu, Halæ Magd. MDCCXLVII.



Cap. XI.

De mente laborantium verbis & factis stultis ac irreligiosis.

§. I.

Eorum facta non libera.

Non solum delirio acuto & chronico, sed etiam majori melancholiæ & mali hypochondriaco-hysterici gradu laborantes subinde verba stulta ac irreligiosa effutiunt, factaque leges humanas atque divinas impugnantia, & sibi aliisque noxia, nisi cohibeantur, committunt. Monente *H. F. Teichmeyero* in instit. medic. legal. c. XVII. pag. CXLII. quod blasphemias attinet, notandum est, omnes delirantes, quales sunt phrenetici, melancholici, inprimis vero maniaci, hoc vitio plerumque laborare.

§. II.

Inculpabilia.

Cum in phreneticos & maniacos atque his similes rationis usus non cadat, nec in his semper locum habeat; nec verba, nec facta sapientia ab illis expectanda, nec insulse dicta stulteque facta, iis impu-

imputanda, multo minus punienda sunt; hic enim non pœnis corporis afflictivis aut supplicio, sed miserorum custodia ac curatione opus est. Decreti pr. II. caussa XV. quæst. I. cautum est, ne ea, quæ alienata mente fiunt, imputentur. Quando igitur ejusmodi deliramenta accidunt, in ægrotorum statum, postulante judice, a Medicis inquirendum est; ut mentis vitio detecto custodiri ac curari possint, vid. cel. *E. G. Bosii* diss. de mentis morbis delicta excusantibus, Lips. MDCCLXXIV.

§. III.

Casus.

Tot verborum factorumque insipientium exempla in Medicorum practicorum observationibus annotata sunt, ut de hac plurium miseria nemo dubitare possit. Ex iis, qui mihi obtigerunt, pace B. L. quædam tantum prolaturus sum. Cum ante VI. lustra Hala Magd. iter Erfurthum facerem, in media via occurrit mihi vir, de cujus statu melancholico tetra facies atque oculi concavi satis testabantur. Hic me inclamans, se prophetam esse, & Dei mandata mihi adferre, profitebatur, gradumque sistere, jubebat. Ut breviter rem expediret, rogavi; cum, cœlo jam advesperascente, longa via mihi restaret. Deum regem ex septentrione meretricem babylonicam perditurum, excitaturum esse, nugabatur. Recte, inquam, & gradus corripere incipiebam. At ille plena voce, diutius, multis restantibus, expectandum esse, jubebat. Ego, an nemo Medicus hic locorum commoraretur, cui curandus tradi posset, respondi. Hoc audito, ille insaniens, multis nugis anathema contra

contra me effutiebat; ego vero, deliramentorum ejus pertæſus, cura, ut valeas! reſpondi, miſſoque ſtulto iter meum proſecutus ſum. Quis, quæſo, huic homini non caſtigatione, ſed potius helleboro opus fuiſſe, non arbitraretur?

§. IV.

Alter caſus. Alter caſus ſenem primo melancholicum, dein maniacum, & denique curatum, attinet. Hic temperamento melancholico præditus, maximam juventutis atque ætatis conſiſtentis partem in regione calidiore, rei quærendæ cauſa, transegerat. Poſtea in patriam redux, manifeſta melancholiæ ſigna ſubinde edidit, & notabili fortunarum ſuarum parte a fraudatore quodam privatus, in tantum maniæ gradum incidit, ut violentas manus ſibi inferens, abdomen ſuum cultro ita ſauciaret, ut quædam vulnera in hujus cavum penetrarent. Inter maniam furor ſubinde emicabat, per reliqua temporum intervalla taciturnus, moroſus, anxius atque timidus erat, &, ſi quis ædes ejus introiret, lictorem a judice mitti, ut inſons ad ſupplicium raperetur, exclamans, toto corpore tremebat. Præter hanc phantaſiam alia ſæpius vexatus, ſe ſine dubio gravidum, fœtumque brevi editurum, & ſponſores ſibi quærendos eſſe, ſerio affirmabat. Eo tempore, quo totus in ſolvendis & ſucceſſive exturbandis humoribus atrabilariis occupatus eram, parochus quidam, curæ ſacræ cauſſa ſæpius illum conveniens, ad peccatorum agnitionem fidemque in optimum Servatorem omni ſtudio illum compellere conabatur. Quæſtionem: an peccator eſſet? ſemper quidem affirma-

firmabat; sed alteram: an Christus etiam illius caussa mortuus esset? pertinaciter negabat; probabiliter metuens, ne ex ista confessione culpa & pœna in illum recideret. Interea Theologus noster, se illum ad legis, non autem ad evangelii agnitionem perducere posse, sæpius querebatur. Cui, me interroganti, id consilii dabam, ut pias preces pro misero ægroto funderet, nec prudentes a stulto responsiones expectaret; me vero omnem lapidem moturum esse, ut, proscripta materia atrabilaria, cum sanitate in gratiam rediret, & interea spondere, a curato tam legem, quam evangelium admissum iri; quod etiam denique factum est. Accedente scilicet febre quartana, ejusque recta tractatione, magna materiæ atrabilariæ quantitas, picis liquatæ instar, per alvum excernebatur, ægrotus ad se rediit, & postea a verbis factisque stultis abstinuit. Interea bonus ille parochus nescio quid huic ægroto inesse, & judicium meum de ejus statu suspiciosum, nec satis religiosum, esse arbitrabatur; donec felix morbi curatio utrumque errorem illi eriperet.

§. V.


In sene melancholico, epilepsia *Tertius.* & cephalæa sæpius laborante, &, brevi ante apoplexiam lethalem, plura verba irreligiosa, parocho admodum displicentia, proferente, meningum vasa valde distenta, ventriculi cerebri anteriores sero repleti, processus falciformis fere totus in laminam osseam mutatus, hinc inde eminentiis osseis acutis obsitus, totum sinus sagittalis latus dextrum, atque ex parte etiam sinistrum

niſtrum, oſſea natura præditum, ipſumque cerebrum ac cerebellum duriuſcula reperiebantur, vid. *D. I. W. C. Baumeri* diſſ. de meningibus, Gieſſæ MDCCLXXV. Conſimilis caſus a Dn. *I. B. Morgagno* l. c. l. II. ep. XXV. art. VI. relatus eſt.

§. VI.

Quartus. Alius triſtior ſtulti ſtolide atque injuſte tractati caſus a Dn. *G. E. Stahlio* in diſſ. de animi morbis, Halæ Magd. MDCCVIII. edita, relatus eſt; cujus particularia me ex Dn. *Joan. Junckero*, Stahlii diſcipulo, audire, memini. Sed generalia ex dicta diſſertatione hic poſuiſſe ſatis ſit: Vir quidam melancholicus, morbum ſuum taciturnitate, anxietate, timiditate, & ſubinde verbis inſulſis ſatis declarans, & poſt fortunarum ſuarum decrementum, contra providentiam divinam ſtulta verba proferens, e. g. ſe ſatis diu preces perperam fudiſſe, benedictionemque divinam fruſtra expectaſſe; jam ſe optare, ut Deus res ſuas ſibi habeat, ſibi vero etiam ſuas relinquat, in quadam Thuringiæ urbe, ubi acta judicialia adhuc ſervantur, contra collegiorum medicorum reſponſa, primum exilio, & paullo poſt revertens, & in columbario ſuo aliquamdiu delitescens, ex hoc protractus, parocho quodam & urbis quæſtore judices inſtigantibus, contra jus fasque, ad ultimum ſupplicium raptus, & ſub continuis vociferationibus ac ſupplicationibus, ut ſibi ſua miſeraque vita relinquerentur, ſe etiam Deo ſua relicturum eſſe, decollatus fuit.

Schol. Homines turbas respectu religionis in republica excitantes sæpius etiam dubiæ mentis sunt. Hi, pro re nata, vel medicandi, vel veris rationibus erroris sui convincendi sunt. Refractarii autem, servandæ tranquillitatis publicæ caussa, vel carceribus coërcendi, vel proscribendi, suppliciis autem afficiendi non sunt; etenim sponte resipiscentium, atque phantasmata sua repudiantium, exempla non desunt. Hoc optimus Servator noster Matth. c. XIII. v. 29. indicasse videtur, dissuadendo, ne servi in agro suo, bono semine consito, zizania colligant, & simul cum illis triticum eradicent; sed jubendo, ut utraque ad messem usque crescere sinant, & tum temporis, domini jussu, zizania collecta comburantur, & triticum in horreum recondatur. Nec nos, præjudiciis capti, alios, ut in hanc vel illam turbam concedant, vi adigamus. Veritatis momenta, si id officii ratio postulat, proposuisse, & incapaces vel refractarios fatis suis reliquisse, satis est, nec ullibi, ut ideo ferro, aut igne grassaremur, permissum est. Damnosum potius convertendi pruritum in Pharisæis Servator noster merito quoque reprehendit, Matthæi c. XXIII. v. 15. inquiens: væ vobis, Pharisæi hypocritæ; quia circumitis mare & terram, ut unum proselytum faciatis, & cum fuerit factus, eum filium gehennæ duplo magis, quam vos estis, facitis.



Cap.

Cap. XII.

De dæmoniacis & sagis.

§. I.

Dæmoniaci. Theologorum sententias de malorum spirituum potentia in corpus humanum varias esse, notum est, nec istas impugnare, aut inter se conciliare, ad forum medicum pertinet. At, ex rerum naturalium & caussarum morbificarum ignorantia, plures a veteribus pro dæmoniacis falso habitos fuisse, & ab imprudentioribus adhucdum haberi, manifestum est; phantasiam corruptam, maniam, furorem uterinum, ecstasin, catalepsin, motus epilepticos, variasque spasmorum rigidorum cum mentis alienatione atque eclipsi conjunctorum species, v. c. tetanum, emprosthotonum, opisthotonum &c. huc referre possumus. Ubi igitur ejusmodi quæstio incidit, ante omnia in illorum statum, qui pro dæmoniacis habentur, a Medicis prudentibus inquirendum, atque, an dolo malo morbus simuletur, aut qualis morbus vere adsit, ex symptomatum collatione dijudicandum, &, re exigente in foro pronuntiandum est; ne fictis, variis ac falsis publicum, inprimis vulgus credulum, ludificetur, vid. *Jo. Casp. Westphali* pathologia dæmoniaca, Lips. MDCCVII. *Georg. Dethardingii* diss. de obsessione eademque spuria, Rostochii MDCCXXIV. *Eliæ Camerarii* diss. de cauta miraculorum in foro medico dijudicatione, Tubing. MDCCXXXIII.

Dn.

Dn. *Kurella* Gedanken von Besessenen und Bezauberten, Halle 1749. Dn. D. Joh. Semlers Untersuchung der dämonischen Leute oder sogenannten Besessenen, ibid. 1762.

§. II.

Venefici. Maleficos homines venenis aliisque malis artibus aliorum valetudinem lædere, quin eos occidere, posse, nulli dubio subjacet, multisque casibus criminalibus demonstratum est. Nociva autem hæc omnia non nisi per immediatum contractum lædunt, atque etiam in illis casibus, ubi per invisibilia effluvia corpori sese insinuantia, nocent. Pysicam autem in corpus distans actionem locum non habere, a philosophis dudum demonstratum est. Ubi igitur quæstio de morbo per magiam excitato aliisque ejus effectibus vulgo creditis oritur, etiam in hæc per prudentes physicos atque medicos inquirendum, nec aliorum damnum superstitioni litandum est. Providentiæ divinæ, atque virorum prudentissimorum optimarumque in rem publicam partium operæ, debemus, quod pyræ tandem ardere cessaverint, nec publica justitiæ administratio, in religionis ac rationis humanæ dedecus, injustis cædibus commaculetur. Distædet meminisse, quanta temporibus superstitiosis mala atque damna inde orta sint. In sola Lotharingia seculo XVI. nongentos homines, sub sortilegii titulo, intra XV. annos concrematos esse, *Nicol. Remigius*, Ducis Lotharingiæ a consiliis intimis, in tribus de dæmonolatria libris, Francofurti MDXCVII. editis, quasi re bene gesta gloriatus est, vid. *Jo. Wieri* de præstigiis

dæmonum, incantationibus & veneficiis l. v. Basil. MDLXIII. *Frid. Spee* cautio criminalis de processibus contra sagas, Francof. MDCXXXI. & Solisbaci MDCXCVI. *Geor. Abr. Mercklini* sylloge casuum physico-medicinalium, incantationi vulgo adscribi solitorum, cum judiciis & curationibus, Norimb. MDCXCVIII. recusa MDCCXV. *C. Tomasius* de crimine magiæ ut & origine & progressu processus inquisit. contra sagas. *Eliæ Camerarii* diss. qua magici morbi historia attentius pensitatur, Tubingæ MDCCXXIV. *Erici Gustavi Toppii* diss. de natura morborum, incantationi falso adscriptorum, explanatione, Lugd. Bat. MDCCXXVIII.



CAP. XIII.

De autochirorum sepultura.

§. I.

Falso crediti. A latronibus atque sicariis interfectorum, & in avtochirorum habitum positorum, exempla non desunt. Parochum senem, optimæ famæ, noctu in ædibus suis laqueo a furibus suspensum suffocatumque, pro avtochiro probabiliter habitum, & minus solenniter humatum esse, memini; usque dum, nonnullis annis post homicidio illo a latronibus, ob alia scelera captis, confesso, justa ipsi solemnia persolverentur. Fur quidam, ergastularius, noctu captivorum, custodiæ

diæ ſuæ creditorum, quosdam ſolvere & cum illis multa atque inſignia furta in celebri quadam Thuringiæ urbe, ſine ulla ſuſpicione facere ſolebat. Quendam captivum, ob inſtans liberationis tempus, furtis intereſſe recuſantem, in carcere ſuſpendebat, eumque avtochirum eſſe, ad judicem deferebat; a quo aſinina defuncti ſepultura decernebatur. Aliquando poſt fur ille atque homicida in mandatis a judice accepit, ut, militibus comitatus, captos quosdam fures arceſſeret. Ab his pro ſocio ſuo agnitus, atque pro inſigni latrone declaratus, inter alia ſua facinora modo propoſitum homicidium confeſſus, & capite plexus eſt. In dijudicanda igitur avtochiria circumſpecte agendum eſſe, patet.

§. II.

Mente laborantes.

Sana mente privati, ſive id ex delirio acuto aut chronico, malo hyſterico aut hypochondriaco determinato, melancholia aut mania contigerit, ſibi ipſis manus violentas inferentes avtochiri doloſi non ſunt, nec reſpectu ſepulturæ gravius quid contra illos decernendum eſt. In *Nemeſi Carolina* tit. CXXXV. de hac re ſequentia præcepta ſunt: Wenn ſich eine Perſon aus Krankheit des Leibes, Melancholie, Gebrechlichkeit der Sinnen, oder andere dergleichen Blödigkeiten ſelbſt tödet; ſo ſoll die Strafe eigener Tödtung nicht ſtatt haben.

§. III.

Sectionis legalis neceſſitas.

Si quis ſe ipſum necaverit, & mentis ſtatus dubius exſtiterit, corporis mortui ſectione legali opus

 eſt.

est. In mente laborantium capitibus plura præternaturalia modo non semper deprehendi solent, v. c. mala cranii conformatio, meningum hinc inde orta offescentia, præternaturalis vasorum encephali, inprimis piæ meningis, expansio ac turgescentia, tumores, scirrhi & ulcera in ipsa cerebri substantia, insolita hujus durities, serum acre cerebri ventriculos occupans &c. quæ non possunt non humorum in encephalo circuitum turbare, & mentis actiones lædere. Præter hæc sontica viscerum obstructio & coalescentia, humores atrabilarii, calculi biliarii &c. inter melancholiæ, quin & maniæ signa merito referuntur. Ejusmodi igitur status morbosi in corpore mortuo rite investigandi, atque in foro pronunciandi sunt.

§. IV.

Casus. Bubulci cujusdam uxor, post partum difficilem, hemicrania dextri lateris fere continua laborabat, ac de dolore in sinistro capitis latere intrinsecus rodente querebatur. Moliminum menstruorum tempore maniaca fiebat, atque aufugiens, nonnullos dies in sylvis campisque commorabatur, &, mitescente paroxysmo, ad maritum redibat. Annum quinquagesimum agens, similemque tragœdiam ludens, in sylva vicina veterem quercum, in media altitudine concavam, magnoque foramine apertam ascendens in dicta cavitate se abscondebat, regressuque, ob ejus altitudinem, impossibili, in illo moriebatur. Postea a venatore extremum hominis pedem per foramen minus, in cavitatem majorem penetrans, conspiciente, detecta, atque dein

dein ascibus ex arbore excisa, cultroque anatomico subjecta fuit. In hac digitos ab eluctandi nixibus laceratos cruentatosque, cerebrum diuriusculum, & vasa piæ meningis, in sinistro capitis latere, adeo distenta atroque sanguine repleta vidi, ut diametro naturali triplo majora essent. Quis hanc, miseria sua oppressam, spontanea præmeditataque morte se affecisse, crederet?

§. V.

Ubi vero in avtochiris nulla delirii signa apparuerunt, sed vel homines, perditissimis moribus præditi, vitæ usum susque deque habuerunt, aut malefici, majus supplicium effugiendi scopo, se ipsos quacunque ratione necarunt; tunc utique pro avtochiris habendi sunt, atque sepultura infamis merito illis decernitur. In *Nemesi Carolina* l. c. sequens de hac re decretum legimus: Wenn jemand in Recht gefodert oder gebracht wird, von Sachen wegen, so er der überwunden, sein Leib und Gut verwürkt hätte, und aus Furcht solcher verschuldeter Straf, sich selbst ertödtet; so soll die Strafe eigener Tödtung statt haben.

Avtochiri veri.

§. VI.

Re exigente, sepulturam ignominiosam, vel si de hujus causa sufficiente non satis certus est, minus solemnem judex ecclesiasticus, sed avtochirorum atque in reatu mortuorum sepulturam asininam, a carnifice in loco infami perficiendam, judex politicus decernit, vid. Dn. *Bocrisii* diss. de eo, quod justum est circa propricidarum sepulturam.

Sepultura ignominiosa.



PARS VI.

DE JURISPRUDENTIA MEDICO-CRIMINALI.

CAP. I.

De illa generatim.

§. I.

Quæst. huc ſpectantes.

In nulla juris parte, quam in criminali, tam multæ quæſtiones occurrunt, ad quarum ſolidam diſcuſſionem, & juſtitiam caute adminiſtrandam, Medicorum opera judicibus opus eſt. Huc quæſtiones de ſtupro violento, nociva potulentorum adulteratione, veneficiis, vulnerum lethalitate, de ſuffocatis, infanticidio, tortura, pœnis corporis afflictivis, ultimo ſupplicis, atque de inquiſitorum ex rationibus medicis defenſione, pertinent.

§. II.

A quibus dijudicandæ.

In omnibus caſibus, quorum cauſſæ, indoles atque effectus ex principiis phyſico-medicis dijudicandæ ſunt, Medici, tamquam artis periti, audiendi ſunt, & judicis eorum operam tunc

tunc negligentis ſententia lata omnino nulla eſt. Ut vero datus caſus ſollicite indagetur, & de eo, ſecundum artis regulas, atque ut res ipſa fert, ad judicem referatur, Medicorum eſt; quo ille firmum ſententiæ juſte ferendæ fundamentum habeat.

Schol. Qua ratione, ad corpus delicti rite conſtituendum, ejusmodi inveſtigationes omnium optime perficiantur, in prolegomenis de Medicorum officio in caſibus medico-legalibus eruendis, dijudicandis, atque in foro pronunciandis, abunde dictum eſt.

****

Cap. II.

De ſtupro violento.

§. I.

An poſſibile.

Cum in foro criminali de ſtupro violento agitur, ex viribus accuſantis atque accuſati inter ſe probe comparatis, an locum habere potuerit, nec ne? colligendum eſt. Feminæ debili a viro robuſto vim inferri poſſe, concipi poteſt, nefandisque caſibus comprobatum eſt. At a viro debili feminam multum valentem, contra ejus voluntatem, comprimi poſſe, niſi adjutores adhibuerit, vel malas artes in uſum traxerit, omni probabilitate deſtituitur. Ex ordinis medici Lipſienſis reſponſo in caſu virginis XVII. annorum, ſtuprum violentum ſibi a quodam illatum eſſe, querentis, Dn. *Teichmeyerus* in med. for. c. IV. p. XXVIII.

ſequentia retulit; ex connexis, quæ in coëundi actu occurrere ſoleant, minus credibile eſſe, maſculum aliquem nubilem virginem, excepta impube, tenera aut ebria, absque ipſius conſenſu, vitiare poſſe; dum feminæ cuique, penis immiſſionem multis modis impedire, quam viro invitæ intrudere, facilius ſit.

Schol. De facinoroſo marcoticorum, v. c. opii, daturæ, mandragoræ uſu, vid. Dn. *Mich. Alberti* ſyſtem. jurisprud. med. prior. I. c. III. §. XVI. & pr. poſter. caſ. XX.

§. II.

Ejus ſigna. In virgine tenera a viro robuſto recens violata ſtupri vi illati naturalium tumor, inflammatio, cruentatio, & hymenis atque in impuberibus quandoque unius alteriusve nymphæ dilaceratio, ſigna ſunt, vid. juris medico-eccleſ. cap. VIII. Brevi poſt factum ſigna hæc ab artis peritis, ventris inſpectione, inveſtiganda atque in foro pronuncianda ſunt. Dn. *H. F. Teichmeyer* l. c. p. XXVIII. duo, inquit, exempla puellarum V. circiter annorum ſtupratarum mihi nota ſunt, in quarum una, a violenta penis intruſione, non tantum inflammationes enormes, ſed etiam exulcerationes ſequebantur. In altera, præter modo recenſita ſymptomata, pedum paralyſis fere incurabilis ſuperveniebat.

§. III.

Signorum abſentia. In feminis viri congreſſum jam ſæpius paſſis dicta ſtupri violenti ſigna locum non habent. Quin & poſt

poſt violentam virginis deflorationem, niſi læſio impuberis enormis fuerit, intra hebdomadis ſpatium, excepta hymenis dilaceratione & vaginæ dilatatione, iterum diſparent. Ubi autem mulier a pluribus violenter conſtuprata fuerit, etiam tumoris atque inflammationis ſigna in muliebribus paullo poſt comparent, vid. Dn. *I. A. Gerſtlacheri* tr. medico-legalis de ſtupro, in uſum eorum, qui jurisprudentiæ operam dant, & præcipue eorum, qui in foro verſantur.

§. IV.

Pæderaſtiæ.

Abominabilis pæderaſtiæ ſigna intertrigo, excoriatio, inflammatio, fiſſuræ, excreſcentiæ in illis locis, ſphincteris laxitas & inteſtini recti prolapſus ſunt, vid. *H. F. Teichmeyer* loc. cit. c. IV. p. XXXI. & XXXII. & Dn. *P. E. Hartmanni* diſſ. de pædicatore noxio & infeſto reipublicæ cive. Francof. ad Viadr. MDCCLXXV.

Cap. III.

De nociva ac doloſa vinorum adulteratione.

§. I.

Vinorum adulteratio ſaturninis.

Plura quidem potulenta nocivis artibus adulterari ſolent, de quibus avertendis atque coërcendis in politia medica, anno proxime præterito a

me edita, c. V. §. LXXII. uberius a me dictum est. Inprimis tamen vinorum adulteratio saturninis, maxime lithargyrio, facta sæpius occurrit, & valetudini admodum inimica, quin deleteria est; hoc enim pessimo mangonio vina austera dulcare, & simul valde noxia reddere, fraudatores solent. Teste Dn. *C. G. Ludwig* instit. physiol. diæt. §. DVIII. vina acida lithargyrio dulcata & corrupta valdopere nocent; non enim ab eo pars spirituosa deficiens vino conciliatur, sed inde ipsi ea potius indoles tribuitur, ob quam humorum lentor & lymphæ spissitudo; hinc lentæ obstructiones in corporibus nostris eveniunt. Conf. Dn. *Gœkelii* Beschreibung des durch die Silberglöte versüßten sauren Weins, und der davon entstandenen vormahls unerhörten Weinkrankheit. Dn. *Jo. Zelleri* diss. qua docimasiam, signa, caussas & noxas vini lithargyrio mangonisati exhibet, Tubingæ MDCCXVII. Dn. *H. G. Mathiessen* diss. de vinis lithargyrio infectis, & colica peretico-convulsiva ex eorum haustu oriunda, Gryphsw. MDCCLXV. Dn. *Sam. Theodor. Quelmalzii* diss. de vinis mangonisatis, Lipf. MDCCLIII. Dn. *F. A. Cartheuseri* progr. de quibusdam vinorum adulterationibus, quæ additamentis mineralibus peraguntur, Giess. MDCCLXXVII.

§. II.

Vegetabilibus peracta.

Dantur etiam vinorum corruptelæ vegetabilibus procuratæ, non æque quidem noxiæ, attamen valetudini adversæ, v. c. salvia sclarea, (exotica) hormino pratensi, vel sambuci floribus, vinis saporem

porem moschatellinum, sed simul vim quandam narcoticam conciliant. Colocynthicis vel turpethi vegetabilis additione vinum amaritie donant, sed & doloribus colicis occasionem præbent, vid. Dn. *F. A. Cartheuser* in progr. de quibusdam vinorum adulterationibus, sanitati noxiis, quæ additamentis vegetabilibus perficiuntur, Giessæ MDCCLXXVII.

§. III.

Adulterationis investigatio.

Si qua vinorum adulteratorum suspicio incidit, judicis est, sine mora procurare, ut ab artis peritis eum in finem studiose in illud inquiratur; quo damnum a civibus avertatur, atque in noxios graviter animadvertatur.

Obs. I. Quandoque non dolose, sed culpose, vinorum adulteratio accidit, cujus rei exemplum a doliario imprudenter commissum, & cum nonnullorum mortibus conjunctum, mihi innotuit; in quo casu non nisi pœna extraordinaria locum habet.

Obs. II. Si Medicus, ab aliis rogatus, dolum in vinis adulterandis privatim detexit, id silentio tam diu premat, usque dum idem autoritate publica investigatum sit; ceteroquin œnopolæ fraudulenti cum doliariis, vinorum curam habentibus, & pretio oblato corruptis, vinorum infectorum filtratione, & largiore vini bonæ notæ admixtione, novum scrutinium perdifficile, quin impossibile, reddere solent.

§. IV.

§. IV.

Eam instituendi modus. Vinis lithargyrio aliisque saturninis adulteratis dijudicandis liquor docimasticus, ex auripigmento & aqua calcis vivæ, leni coctione vel digestione, recens conficiendus, utilis est. Hoc liquore, hepatis sulphuris arsenicalis naturam habente, in vinum suspectum successive ac sufficienter instillato, pro diverso adulterationis gradu, actutum, vel successive, sedimentum rubeum, purpureum vel nigrescens ad fundum agitur, vel, in leviori adulterationis gradu, in ejus superficie color rubeus comparet, totumque vinum turbidum fit. At in vino genuino non nisi sedimentum album conspicitur.

Cap. IV.

De venenis.

§. I.

Venenum. Omne corpus, quod, determinata dosi datum, sua natura ac vi, nisi in tempore impediatur, gravem morbum certamque mortem animalibus adfert, venenum, toxicum, pharmacum deleterium, dicitur. Prout venena cito vel tarde nocivos suos effectus producunt; acuta vel tarda dicuntur, & prout ex regno minerali, vegetabili aut animali ortum traxerunt, mineralium, vegetabilium aut animalium nomen accipiunt. *Petr. Forestus* obs. &

& curationum medic. l. XXXI. obſ. I. p. X. venenum, inquit, licet exiguum ſit in ſubſtantia; ejus tamen operatio valde magna eſt; unde accidit, ut nocumentum corpus illico ſentiat.

Schol. Quædam venena in perparca doſi data vel admodum diluta, pharmacorum vicibus funguntur, v. c. Mercurius acidis variis junctus, acida mineralia, elaterium, opium &c, ceteroquin caute hic ſemper mercandum eſſe, nemo non videt.

§. II.

Venena mineralia.

Venena mineralia partim cauſtica & corroſiva, partim ſtyptica ſunt. Illis cuprum, aurichalcum ochra cupri naturalis, arſenicum calciforme, cryſtallinum, flavum, rubrum, (ſcandaraca, realgar, Rauſchgelb) ejus regulus & mineræ, auripigmentum, pyrites arſenicalis (Miſtpickel) cobaltum poroſum friabile (Fliegenſtein), teſſulatum, (Scherben-Kobold) retiforme (geſtrickter Kobold), regulus, flores & vitrum antimonii &c. acida mineralia concentrata, acida metallis vel ſemimetallis juncta, aurum fulminans, cryſtalli lunæ, lapis infernalis, viride aëris, antimonii hepar, crocus metallorum, butyrum antimonii, mercurius vitæ, mercurius ſublimatus, dulcis male præparatus, variæ mercurii præcipitati ſpecies, albus, ruber, viridis, luteus, ſolaris, ſal alcalinus, fixus, cauſticus, accenſenda ſunt. Ad ſtyptica vel adſtrictoria ſaturnum ejusque præparata, e. g. flores, calces, lithargyrium, alumen, vitriola & gypſum referimus, vid. cel. Dn. *Jo. Frid. Gmelini* allgemeine Geſchichte der mineraliſchen

lischen Gifte, Nürnberg 1777. *Chr. Godofr. Stenzelii* diss. de venenis terminatis & temporariis, quæ poudres de succession Galli nominant, Wittenb. MDCCXXX. *Ejusd.* diss. de venenis acutis, ibid. MDCCXXXII.

Schol. Quorundam mineralium, v. c. plumbi, mercurii, arsenici, sulphuris, acidi salis communis, (giftige und erstickende Schwaden) calcis vapores, maxime in locis clausis, deleterios effectus edere, satis notum est.

§. III.

Vegetab. venenata acria. Ex vegetabilibus venenatis quædam acria, & alia narcotico-acria sunt. Ad illa umbellifera venenata I. Conium maculatum, seminibus striatis, vel cicuta major terrestris Bauh. (der fleckigte Schierling.) II. Cicuta umbellis opposito foliis, petiolis marginatis obtusis vel virosa, aquatica Gesneri, vel sium erucæ folio Bauh. III. Æthusa petroselino similis, vel cicuta terrestris minor. IV. Oenanthe crocata, foliis multifidis obtusis, subæqualibus, vel œnanthe cicutæ facie, succo viroso, crocato. V. Oenanthe fistulosa, stolonifera, foliis caulinis pinnatis, filiformibus, fistulosis. VI. Phellandrium aquaticum, vel cicutaria palustris tenui folia Bauh. millefolium aquaticum. VII. Cicutaria vel sium latifolium, foliis pinnatis, umbellis terminalibus, vel apium palustre Bauh. VIII. Thapsia fœtida, foliis multifidis, basi angustatis. IX. Chærephyllum sylvestre Lin. seminibus lævibus, petiolis rameis æqualibus, vel cicutaria vulgaris Dodon.

Dodon. X. Chærephyllum bulbosum Lin. caule lævi, geniculis tumidis, vel cicutaria bulbosa Bauh. XI. Selinum sylvestre, radice fusiformi, multiplici. XII. Selinum palustre lactescens Lin. XIII. Sphondilium vulgare hirsutum, foliis pinnatifidis Lin. XIV. Variæ euphorbii species. XV. Aconitum, foliorum laciniis linearibus, superne latioribus, vel napellus flore cæruleo. XVI. Ranunculus sceleratus, foliis inferioribus palmatis, summis digitatis, fructibus oblongis. XVII. Veratrum caule romoso, racemo supradecomposito, corollis erectis, vel helleborus albus. XVIII. Colocynthis, vel cucumis foliis multifidis, pomis globosis, glabris. XIX. Cucumer sylvestris, asininus, vel momordica pomis hispidis, cirrhis nullis. XX. Nerium, vel oleander foliis lineari lanceolatis, ternis. XXI. Rhus myrtifolia. XXII. Taxus foliis approximatis. XXIII. Varia fungerum venenatorum genera pertinent, vid. Dn. *F. A. Knolle* sched. de plantis venenatis umbelliferis. Lips. MDCCLXXI.

§. IV.

Narcotico-acria.

Inter venena vegetabilia narcotico-acria variæ solanorum species, aliaque, v. c. I. Atropa caule herpaceo, foliis ovatis, integris, bella donna, vel solanum furiosum, lethale, melanocerasus. II. Solanum vulgatum, officinarum, caule inermi, herbaceo, foliis ovatis, angularibus. III. Mandragora, atropa acaulis, scapis unifloris, (Schlaf-Apfel.) IV. Datura, vel stramonium, pericarpiis spinosis, erectis, ovatis, foliis ovatis, glabris, vel

vel solanum fœtidum, flore albo, pomo spinoso, oblongo Bauh. (Igel=Kolben, Stech=Apfel.) V. Hyoscyamus albus, foliis petiolatis, sinuatis, obtusis, floribus sessilibus, & niger, foliis amplexicaulibus, sinuatis, floribus sessilibus. VI. Papaver orientale hirsutum, capsulis glabris, caulibus unifloris, scabris, foliosis, foliis pinnatis, serratis, ejusque succus inspissatus, opium. VII. Lolium temulentum spica aristata, sciculis compressis, aristatis, referenda sunt, vid. Dn. *J. R. Spielmann* diss. de vegetabilibus Alsatiæ venenatis, Argent. MDCCLXVI. Dn. *J. F. Gmelin* allgemeine Geschichte der Pflanzengiffte, Nürnberg 1777.

Schol. Dantur etiam vapores vegetabilium noxii, v. c. succorum fermentescentium, (gass Helmontii) prunorum in loco clauso, qui venenis suffocantibus accensentur.

§. V.

Animalia. Cantharides, & venena, quæ viperarum, quorundam serpentum ac brutorum rabidorum, v. c. canum, luporum, felium morsu communicantur, inter venena animalia referenda sunt. Cum autem hæc magis ad pathologico-therapevtica, quam medicinam forensem pertineant; hic ea altius deducendi locus non est. Plura de his lecturus ill. Dn. *Jo. Theod. Ellerum* in philosophia corporis humani sani & morbosi p. DCCCCII. &c. adeat.

§. VI.

Autores. Plures, tam ex antiquioribus, quam recentioribus, autores habemus, qui de

de venenorum natura atque effectibus scripserunt, quorum partim in antecedentibus mentionem fecimus, partim in subsequentibus, re exigente, illorum commemoratio fiet. Jam, historiæ caussa, quosdam ex illis citaturus sum: *Ben. Scharfii* toxicologia, Jen. MDCLXXVIII. *Geor. Wolf. Wedelii* diss. de venenis, ibid. MDCLXXXIII. *Christ. Vater* de venenis eorundemque antidotis, Vitemb. MDCCVII. *Jo. Lindestolpe* de venenis, Lipſ. MDCCIX. *Jo. Lanzonii* tr. de venenis, in operib. ejus omnibus extans. *Will. Whinry* diss. de viribus venenorum. *Joan. Bæckler* de venenis, Argent. MDCCXXIX. *Christ. Godafr. Stenzelii* toxicologia pathologico-medica, Vitemb. MDCCXXXIII. *Jo. Jac. Bose* de potionibus mortiferis, Lipſ. MDCCXXXVI. *Rich. Mead.* mechanica venenorum expositio, Lugd. Bat. MDCCXXXVII. *Io. F. Cartheuseri* diss. de venenis eorumque differente indole, principiis activis, effectu singulari, & curatione specifica, Francof. ad Viadr. MDCCXLI. *Andr. El. Büchneri* diss. de venenis, & diverso eorum agendi modo, Halæ Magd. MDCCXLVI. *Lud. Henr. Leo Hilchen* diss. de venenis, Giessæ MDCCXLVIII. *Jo. Andr. Theod. Sprægel* experimenta circa venena varia in vivis animalibus instituta, Gœttingæ MDCCLIII. *Hillefeldii* experimenta circa venena, ib. MDCCLX. *Val. Henric. Vogler.* diss. de venenis, Helmstad. MDCCLXI.

§. VII.

Absoluta & relativa. Quædam venena, inprimis mineralia, deleterios in omnibus animali-

malibus effectus producunt, v. c. arsenicum, ejusque mineræ, mercurius sublimatus, butyrum antimonii &c. Quædam venena vegetabilia nonnisi quibusdam animalium generibus noxia sunt, e. g. nux vomica brutis, non æque hominibus, deleteria. Aloë canibus & vulpibus nociva, cocculi indici piscibus & pediculis deleterii, phellandrium aquaticum equis lethale, bobus innoxium. Doronicum canes necat, rupicapras, alaudas & hirundines nutrit. Semen petroselini avibus, piper suibus damnosum est. Amygdalæ amaræ vulpes, feles & gallinas necant. Conii maculati semine sturni, stramonii semine phasiani, lolii temulenti semine coturnices, hyoscyami radicibus sues, sine damno, vescuntur. B. m. Dn. *C. G. Ludwig* in therap. gener. §. MCCCXCV. venenorum inprimis vegetabilium, inquit, operationes, pro animalium, a quibus assumuntur, differentia insigniter variant.

§. VIII.

Applicandi modus. Pleraque venena cum alimentis aut medicamentis dolose exhibentur, vel incaute sumuntur. Quædam telis veneno infectis vel morsu animalis venenati aut rabidi, aut pharmacis, quibus vulnera aut ulcera nutriri solent, corpori ingeruntur, aliove modo cuti applicantur. Ab inunctionibus arsenicalibus plures febribus lethalibus correptos esse, *Amat. Lusitanus* cent. II. curat. XXXIV. retulit. Nec sub pulvere sternutatorio aut in clysteribus datorum exempla desunt. *Fortunatus Fidelis* de Medicorum responsis l. IV. sect. III. c. II. non ore tantum, inquit, assumta venena homi-

homines necare possunt; sed etiam non raro in enemate supponi solent; sæpe etiam vulneribus ulceribusque sub specie remedii admoventur.

§. IX.

Diversus effectuum gradus.

Unum idemque venenum, pro diversa sua dosi, vehiculo ex quo datum, vires ejus augente vel minuente, ventriculo vacuo vel alimentis pleno deglutitum horum ac pharmacorum antea vel brevi post assumtorum conditione, v. c. lacticiniorum, oleosorum, pinguium, gelatinosorum, ac mucilaginosorum, vel acrium, exæstuantium, opiatorum &c. hominis temperamento, robusta vel imbecilli natura, valetudine secunda vel jam antea adversa; modo mitiora, modo vehementiora symptomata ac damna producit.

§. X.

Testimonia.

Hæc a pluribus autoribus dudum observata atque annotata sunt; ex quibus nonnulla b. m. Dni *Jo. Bapt. Morgagni* testimonia citasse, satis sit. Hic de sedibus & caussis morborum per anatomen indagatis l. IV. epist. LIX. art. IV. ut in cæteris, inquit, sic etiam in morbis, qui a veneno fiunt, neque signa, neque effecta eadem in omnibus expectanda sunt. Aliæ in aliis corporibus tum fluidarum, tum firmarum partium, quæ ad ventriculum præsertim attinent, constitutiones, ejusque præterea inanitas aut plenitudo, hæcque ab unius aut alterius generis alimentis, facere nimirum possunt, ut venena, etiamsi eadem, eodemque pondere, re vera sint; (eadem etiam possunt esse

nomine, ſed aliter præparata;) non iisdem tamen ſignis & effectibus ſe prodant. *Idem auctor* l. c. art. XVI. in nonnullis, ait, veneni effectus a corporis diſpoſitione augeri, haud negaverim; cum facile agnoſcam, a prava ipſa corporis diſpoſitione internum aliquando poſſe venenum gigni.

§. XI.

Conſuetudinis efficacia.

Ipſa etiam pharmaca pernitioſa aſſumendi conſuetudo eorum vim atque noxios effectus multum imminuit; uti in Turcis opio adſuetis obſervamus, qui illud tanta quantitate impune deglutire ſolent, quantam, ſine certo damno, inaſſueti minime ferrent, vid. Dn. *Henr. Engelhagen* diſſ. de drimyphagia, Gœttingæ MDCCXLIV. Dn. *Ge. Gottl. Richteri* progr. de aſſuetudine venena ferendi in drimyphagis, ib. eod.

§. XII.

Veneni acuti ſigna.

Si, aliis morbi cauſſis abſentibus, in homine antea ſano, a re quadam cum alimentis vel medicamentis aſſumta, gravia atque deleteria ſymptomata ſubito oriuntur; illum, caſu vel dolo malo, venenum acutum vel corroſivum accepiſſe, juſta ſuſpicio eſt. Facies pallida & cadaveroſa, unguium livor, linguæ, faucium, gulæ & ventriculi ardor, cardialgiæ, nauſea, atque dolores colici vehementiſſimi, hyperemeſis, hypercatharſis, alvi contractio, faucium conſtrictio, reſpiratio difficilis, anxietas, artuum tremor, febris ſymptomatica valentiſſima, æſtus urens, ſitis clamoſa, ſingultus

gultus, delirium, tremor & rigor artuum, convulsiones, cordis palpitatio, pulsus celer, anomalus, debilis, ingens virium prostratio, lipothymia, assodes, lipyria, dejectiones cadaverosæ, & sudor frigidus, instantis mortis prodromi, huc pertinent, vid. Dn. *Mich. Ern. Ettmülleri* diss. de veneno ejusdemque assumti signis, Lips. MDCCXXIX. Dn. *Wilh. Bernh. Nebel.* diss. de signis intoxicationis, Heidelb. MDCCXXXIII.

Schol. Horum symptomatum licet non semper omnia, attamen, pro intoxicationis modo & gradu, pleraque, aut saltim quædam adesse solent.

§. XIII.

Narcotici & lenti.

Venenorum narcotico-acrium datorum signa quidem consimilia sunt; sed & præterea humorum resolutionem, venarum intumescentiam, faciei ruborem, atque affectus soporosos producunt. Venena lenta viscerum obstructiones ac constrictiones, alvi atque urinæ suppressionem, dolores colicos, paralyses, partium internarum inflammationes ac læsiones, febrem habitualem, corporis contabescentiam, virium decrementum lentamque mortem arcessunt.

§. XIV.

Testimonia.

Aëtius tetr. I. I. c. XLVII. ubi, inquit, in aliquem placidæ & bene compositæ prius mentis, & bonæ itidem habitudinis, accedente etiam justa ciborum concoctione, statim & derepente variæ accessiones irruant, præsertim ab accepto cibo aut potu, ve-

luti si accedat tussis, fœtidi sanguinis per os rejectio, molesta lotii excretio, dolor in alto nitens, ardor, vehemens sensus tensionis, stuporis perculsio, tremor, singultus, contractio, eruptio bullarum, livor, tumor, coarctatio, quarundam partium putrefactio, vomitus fœtidus: ex his omnibus si quid, repente ab accepto cibo, sano homini accidat, hunc ipsum veneno infectum esse, existimandum est. Accepti veneni symptomata, absentibus aliis morbi caussis, ill. *Joh. Teod. Ellerus* in philosophia corporis humani sani & morbosi, p. DCCCLXXX. sequentem in modum recensuit: Unter die Kennzeichen der Vergiftung werden vornehmlich gerechnet schleuniges und unerwartetes Brennen, Entzündung des Halses und des Magens, Ekel und Erbrechen, Durchbrüche oder Verstopfung, Krampf und Beklemmung der Brust und des Zwergfells, Schlucksen, heftiger Durst, grosse Angst, schwerer Othem, ausserordentliches Herzklopfen, Ohnmachten, Zittern und Erstarrung der Glieder, kalter Schweiß, schwacher Puls, aufgelaufenes und blaues Gesicht, Nasen, Zunge, Lippen, schwarze Nägel, Zuckungen und der Tod.

Schol. Licet quidam, vel naturæ vel antidotorum beneficio cur mortem evaserint; morbis tamen sonticis, v. c. contracturis, paralysi, atrophia febre hectica, per totam vitam conflictati fuerunt.

§. XV.

Signa cadaverum externa.

In corporibus humanis veneno corrosivo extinctis facies, fauces atque abdomen tumida, os nigrescens,

cens, ejus cavum inflammatum & cruentum, lingua tumida, atque in corporis peripheria hinc inde maculæ lividæ conſpiciuntur, cuticula ſecedit, atque odor cadaveroſus cito oritur. *Galenus* de locis affectis cap. V. ſi homo, inquit, ſanus derepente moritur, ut lethali aſſumto veneno fieri ſolet; corpus aut livens, aut nigricans, aut varium eſt, &, diffluens, putredinem moleſtam olet; hunc venenum ſumſiſſe ajunt.

§. XVI.

Interna.

In corporum mortuorum diſſectione in primis viis, maxime in ventriculo & duodeno, maculæ fuſcæ, lividæ ac nigræ, eroſiones, ſanguinis effuſio, inflammationis ac ſphaceli ſigna, & tunicæ villoſæ ſeceſſus, loca fracida & perrupta, quandoque ipſum venenum, & venæ ventriculi, inteſtinorum, meſenterii atque epiploës admodum humidæ, quin & cor flaccidum, pulmones, hepar atque renes ſanguine turgida & maculis lividis diſtincta, aut nigreſcentia inveniuntur, vid. Dn. *Mich. Alberti* in jurisprud. med. pr. II. p. DXXVIII. & DXXXII. Ill. Dn. *Jo. Theod. Eller* l. c. p. DCCCLXXXI. inquit: Wenn man in dem Magen corroſiven Gift findet, und in ſelbigem ſowohl, als in den Gedärmen, inflammirte, gangränirte, ſphacelirte Orte, und durchfreſſene Löcher vorhanden, oder geronnenes Blut aus zerriſſenen ramis von Blutadern zum Vorſchein kommen, das Herz auſſerordentlicher Weiſe weich und ſchlaff, und die Lunge, Leber und andere viſcera ebenfalls mit ſchwarzen Flecken beſetzt ſind; ſo iſt

an der Thätlichkeit und dem gegebenen Gift nicht zu. zweifeln.

§. XVII.

Veneni deprehensio. Haud raro accidit, ut ipsum venenum, tanquam corpus delicti, in ventriculo & intestinis inveniatur, & tunc in eorum qualitatem & quantitatem accuratius inquirendum, atque, indole eorum id ferente, visui reperto apponenda sunt, ut Medicorum ordines, sententiam dicturi, firmo fundamento niti possint. Arsenicum forma sua, vel prunis injectum odore alliacio, reductione in regulum, & cupri dealbatione cognoscitur. Consimilia in cobaltum porosum friabile, tessulatum, pyriten album &c. cadunt. Acida mineralia cum adfuso liquore alcalino effervescunt, & sub rectis enchirisibus salem medium, suæ naturæ convenientem, producunt. Cum mercurio sublimato liquor alcalinus colorem flavum constituit. Inventæ vitri, seminum, fructuum, herbarum atque radicum suspectorum moleculæ, quantum fieri potest, accuratius examinandæ atque servandæ sunt. Quandoque etiam venenorum portio quædam nondum deglutita in inquirentium manus incidit, & pro documento esse potest. Dn. *Jo. T. Eller* l. c. inquit: Wenn giftige Materien in dem Magen oder Gedärmen angetroffen werden; so muß man solche entweder an Thieren, oder durch chymische experimenta und auf dem Kohlen-Feuer untersuchen.

Schol. I. Cum, sub vehementioribus crebrioribusque vomitibus, magna veneni pars ex ventri-

ventriculo exturbetur; si in rejecta inquirendi occasio detur, ea non negligenda est.

§. XVIII.

Non semper conspicuum.

Non semper talis venenorum conditio est, ut ea sub sectionibus legalibus sufficienter detegi atque ad oculum demonstrari possint; quædam enim illorum ignota ratione composita, vel a vehiculo aut humoribus in primarum viarum canali contentis, ita mutata sunt, ut pristinam suam faciem exuerit, vel parva dosi data, & vomitu quoad maximam partem rejecta, nonnisi paucissimas moleculas reliquerint, cum quibus experimenta chymica instituere difficile est. Si igitur, in intricatis ejusmodi casibus, judicis expectationi Medicus ad amussim satisfacere haud poturit; justam excusationem meretur. B. m. Dn. *Jo. Bohnius* de offic. Med. forens. cap. VI. p. DCXXXVII. si venenorum, inquit, compages ac facies naturalis per præparationem, & cum aliis rebus atque vehiculis commixtionem, destructa aut obvoluta fuerit; vel si minor illius quantitas experimenta exploratoria sufficienter adornare haud concedat, aut veneni arte compositi qualitates sensibiles Medicum exploratorem latcant atque eludant; Medicus judicium suum suspendere quandoque cogitur.

§. XIX.

Morbi venenis similes.

Cum plures morbi, v. c. dysenteria, cholera, causos, febres biliosæ, putridæ & pestilentiales, existant, qui vehementibus suis sym-

ptomatibus ſubito ingruentibus, ſignisque in corpore mortuo relictis, magnam ſimilitudinem cum veneni effectibus habent; Medico forenſi omnis cautio opus eſt, ut, collatis cauſſis antecedentibus, morbi ſymptomatibus, atque ſignis in mortuo inventis, probe inter ſe collatis, ab intoxicatione ejusmodi morbi rite diſtinguantur; ne illius culpa judex, cum alterius periculo, erret. Nonnullorum cholera laborantium caſus *Hippocrates* epid. l. V. retulit, qui conſimilibus ſymptomatibus, quæ a venenis produci ſolent, excruciabantur.

§. XX.

Teſtimonia. *Aretæus* de cauſſis & ſignis acutorum morborum l. I. cap. VII. ſucci, inquit, perdentes intra corpus ſunt & exterius medicamentis pernicioſis morbi quoque ſimiles ſunt. *Fortunatus Fidelis* de Medicorum reſponſis l. I. ſect. III. c. I. interna, inquit, corporis vitia ex communi cauſſa ita in nobis naſcuntur, ut nulli, quavis acuto, veneno concedant. *Idem autor* l. IV. c. III. ſi quis, ait, ebrietate, ſyncope vel apoplexia ſubito extinctus fuit, & c. IV. ubi peſtilentialis aëris fuerit conſtitutio, aut ſi quis improſpera antea uſus fuerit valetudine, & qui in vitæ regimine antea peccaverit, repente moriatur, dubia veneni conjectura eſt. *Jo. Fernelius* l. VI. c. III. de partium morbis, dum motus, inquit, vitioſos ac impetuoſiores, quales in cholera ſunt, obſervamus, ea percullos toxicum bibiſſe, autumari poſſumus. Teſte *L. H. L. Hilchen* in diſſ. de ſignis veneni dati diagnoſticis, Gieſs. MDCCXLVIII. §. VIII. inquilinos

cor-

corruptosque humani corporis humores eum acrimoniæ gradum, eamque corrodendi vim acquirere posse, quæ eosdem edat effectus, quos venena corrosiva sistunt, eandem sordium vomitu rejectarum putrilaginem, fœtorem haud dissimilem, acerrimamque & pelves arrodentem acrimoniam, certum est. Choleram sæpe violentiore, imo vehementissima, sursum deorsumque facta, excretione, talique ferocia statum suum decurrere, ac si a veneno nunc demum in corpus ingesto excitata fuisset, observatorum fide constat.

§. XXI.

Casus.

Juvenis robustus XXVI. annorum, sub vehemente solis calore arans, vehementissimis alvi torminibus ac cardialgiis, hyperemesi ac hypercatharsi, æstu vehemente atque cephalalgia correptus, sub his symptomatibus intra triduum mortuus fuit. Sub sectione legali in primis viis inflammationis signa atque in ventriculo pulvis albus inventus fuit, quocum nulla experimenta physico-chymica Medicus secans instituerat. Ex actis ad ordinem medicum, cujus assessor tum temporis eram, transmissis apparuit, largam cretæ dosin ægroto ab illius pagi ludimagistro, auxilii caussa, ingestam fuisse. Ex caussa antecedente, morbi symptomatibus, atque inflammationis signis in corpore mortuo inventis, ægrotum cholera interiisse judicatum fuit.



CAP.

****

Cap. V.

De venenis speciatim agens.

§. I.

Particularis venen. pertract.

Cum quædam attributa atque effectus quibusdam venenorum generibus propria sint, præter ea, quæ generatim de venenis monui, ut jam succinctam eorum, per tria naturæ regna, pertractationem, cujuslibet in corpore animali vivo effectus, atque signa in corporibus veneno extinctis in conspectum venientia, sigillatim proponam, utile esse arbitror.

§. II.

Cuprum & aurichalcum.

Cuprum, atque ex hoc & zinco præparatum aurichalcum, venenis quidem accenseri nequeunt; at si in illis acida vel austera coquuntur, aut alimenta asservantur, æris ærugo ex iis extrahitur, quæ, in majori vel minori copia assumta, venenorum corrosivorum effectus, v. c. nauseam, tormina colica, hyperemeses, hypercatharses, ischuriam, spasmos, rigores, anxietatem, inflammationes &c. citius vel tardius dat, vid. Dn. *Eller* l. c. cap. II. p. DCCCXCVII. Plurium hominum morbos mortesque a cibis in aheno cupreo asservari solitis productas, in politia medica p. XCV. retuli. A caseo ex lacte in vase cupreo parato sex personas, statim a pastu, vehemen-

hementissimis vomitibus excruciatos esse, Dn. *Mauchart* cent. I. obs. XXIII. proposuit. Aquas stillatitias in vesicis cupreis stanno non probe obductis nauseam, cardialgias atque vomitus excitasse, aliquoties observavi.

§. III.

Cupri ochra.

Quod de cupri noxa affirmatum est, id pari jure de ejus ochra naturali cœrulea atque viridi (Kupfer-grün und blau) atque de artificiali, viridi æris, (Grünspan) valet. Hoc guttur constrixisse, ac vomitus atque primarum viarum inflammationes erosionesque produxisse, experientia docuit, vid. *Jo. Henr. Schulzii* diss. qua mors in olla, vel contagium metallicum in ciborum, potuum & medicamentorum præparatione & asservatione cavendum, indicatur, Altorf. MDCCXXII. recusa MDCCXXIX. *Rousseau* von der Schädlichkeit des Kupfergeschirres in der Haushaltung. *Sam. Theodor. Quelmalzii* progr. de vasis æneis coquinæ famulantibus, Lips. MDCCLIII. *J. H. J. Bauer* diss. de metallorum noxa in alimentorum & medicamentorum præparatione cavenda, Pragæ MDCCLVII. *Geor. Casp. Lud. Hueber* diss. de ænea culinaria supellectili, Argent. MDCCLXVI.

Schol. Cum lapis armenius ex cupri ochra atque terra calcaria compositus sit; noxæ caussa facile patet.

§. IV.

Arsenicum.

Arsenicum calciforme naturale, vel artificiale (Gifftmehl) sub mine-

rarum

rarum arsenicalium tostione in caminis (Giftfängen) collectum, crystallinum naturale vel artificiale, sublimatione cum sale alcalino fixo paratum, ejusque regulus tessulatus, fragilis cum adjecto phlogisto, celere fusione vel sublimatione, factus, inter caustica venena referenda sunt, & licet parva dosi exhibita non tam cito, quam mercurius sublimatus, operentur; attamen nocentissima & modo non semper letifera sunt. Nec arsenicum fixum, sive detonatione cum nitro, sive cum oleo vitrioli paratum sit, virulentiam suam prorsus deposuit; quod vis caustica, quam in callosis ulcerum oris exedendis exerit, satis declarat, vid. *H. F. Teichmeyer* in instit. med. legal. c. XX. p. CLXVI.

Schol. Cum arsenicum, tamquam venenum efficacissimum, vulgo notum sit, atque sub usus mechanici vel murium necandorum praetextu, expeti ac dein sceleribus patrandis haud raro adhiberi soleat; temerariam ejus venditionem prohibendi necessitas apparet, vid. *Politia medica* a me edita §. XXIX. pag. XXVIII. & *Nemesin Carolinam*, in cujus art. XXXVII. cautum est: Die Obrigkeit soll an jedem Ort die Apothecker, und andere, so Gift verkaufen, oder damit handieren, in Gelübd und Eyd nehmen, daß sie Niemand einig Gift verkaufen, noch zustellen, ohne Anzeigung, Vorwissen und Erlaubniß derselben Obrigkeit.

§. V.

Symptomata. Arsenicum, in parva dosi datum vel sumtum, spasmos, nauseam, dolores cardialgicos atque colicos, vomi-

vomitus, diarrhœas atque leniores inflammationes excitat. Majori vero dosi exhibitum linguæ & faucium ardorem, harum constrictionem, dolores primarum viarum vehementissimos, hyperemeses ac hypercatharses, labrorum tumorem, anxietatem, febrem magnam, periculosas ventriculi atque intestinorum inflammationes, exulcerationes, necroses, phrenitidem, convulsiones, summam virium prostrationem, pulsum celerem, debilem atque anomalum, lipyriam, assoden, sudorem frigidum atque mortem producit.

§. VI.

Casus. Observante Dn. *Quelmalzio*, ancilla robusta, XX. annorum, post arsenicum album crystallinum, quantum cultri cuspide bis capitur, assumtum, nausea, anxietate, cardialgiis atque vomitibus, primo materiæ albæ spumescentis, dein saburræ varii coloris, vehementissimis, linguæ & faucium erosione, capitis, oculorum venarumque capitis intumescentia, doloribus primarum viarum pungentibus ac rodentibus afficiebatur, &, licet antidota convenientissima data essent, attamen noctu atque altero mane vomitus, ardores, dolores atque intestinorum spasmi recrudescebant, ita, ut abdomen contractum esset. A meridie pulsus admodum celer deprehendebatur. Tertio die, symptomatibus paullo mitescentibus, dejectiones alvinæ sequebantur, a meridie horrore, æstu vehemente, siti, cephalalgia, pulsu inæquali ac intermittente, atque extremitatum contracturis insequentibus. Quam symptomatum concursum oris amaror, acutissimæ cardialgiæ, capitis dolor gravissimus, oculorum

rum flavedo ac rigor, anomalique motus febriles exceperunt. Horis quarti diei antemeridianis ſymptomata quidem mitiora erant; ſed cachectica faciei inflatio obſervabatur, atque horis pomeridianis æſtus, ſitis, ac reliqua mala ſymptomata, cum ardentibus artuum doloribus, extremorumque contracturis, graviter recrudeſcebant. Quinto die in pagum natalem, milliare diſtantem, inſcio Medico, delatæ morbus exaſperabatur, atque æſtus febrilis, pectoris anguſtiæ, capitis artuumque dolores illam vehementer excruciabant, erumpente paullo poſt in tota corporis ſuperficie purpura alba enormi, confluente, humoremque acerrimum continente; atque extremitatum paralyſi, ita, ut corpus in lecto flectore, aut ſurgere, manibusve aliquid comprehendere, minime poſſet. Purpura decem diebus poſt evaneſcente, cum pungentibus artuum doloribus, eos movendi impotentia, œdematoſo pedum tumore, cordis palpitatione atque convulſionibus conflictabatur, vid. Commerc. liter. Norimb. anni MDCCXXXVII. hebd. XXVIII. p. CCXVIII.

§. VII.

Caſus lethalis. Vir robuſtus XXXVIII. annorum ab uxore juvencula, adultera, inſtigante mœcho, mane in phaſeolis bis coctis, nauſeoſum ſaporem exerentibus, accipiens, ſtatim a paſtu vomebat. Venatum, pro officii ratione, abiens, ſub vomitibus ſæpiſſime reiteratis, magno ventris dolore vehementeque alvi exoneratione, vix ad pagum quartam milliaris partem ab urbe diſtantem, admodum debilis,

bilis, pervenire potuit. Ibi interdiu noctuque commorans, mortui instar, pallebat, labris nigredinem & lingua albedinem præ se ferentibus. Eodem tempore vertigine, artuum tremore, frigore, æstu sitique vehementibus correptus, faucium constrictione, vomitibus enormibus, quinquagies circiter repetentibus, exercebatur. Postero die curru pensili domum relatus, sub itinere, atque dein domi, eodem ac postero die, magno æstu, totius corporis tremore, crebrioribus vomitibus, pulsu debili atque anomalo, causo, lipyria atque sudore frigido afficiebatur. Brevi ante mortem, die quarto a meridie contingentem, convellebatur, atque involuntariam materiæ nigrescentis fœtidissimæ, cum sanguine remixtæ, alvinam excretionem passus est. Durante morbo, pharmaca convenientia illi minime data, sed potius ab anu improba, mœchæ uxoris complice, nova arsenici portio, ne naturæ beneficio, ut jam aliquoties acciderat, iterum mortis periculo evaderet, sub medicamentis exhibita fuit, vid. Dn. *Mich. Alberti* in jurisprud. med. tom. II. cas. XXXIX. p. DXXVII.

§. VIII.

Consimilis.

Anus, quæ pastillos ex amygdalis atque arsenico confectos, muribus necandis destinatos, casu devoraverat, cardialgiis, doloribus colicis acerbissimis, vomitibus atque dejectionibus laboravit, atque intra horam duodecimam e vivis sublata est, vid. *J. B. Morgagnus* l. c. l. IV. epist. LIX. art. III. Pueri casum, qui pastillos ex farina atque arsenico factos, & muribus projectos, temere comederat

in praxi clinica habui, qui tamen, antidotis tempestive adhibitis, post gravissima perpessa symptomata, e mortis faucibus ereptus est.

§. IX.

In mortuo reperta. In viro, cujus casus §. VI. enumeratus fuit, abdomen minime tumidum, sed totum dorsum, a scapulis ad femora usque, nec non totum scrotum, colore dilute fusco, penis stria nigrescente, ac tota glans eodem colore tincta erant. Vasa venosa majora, dexter cordis ventriculus, nec non meningum vasa, sanguine atro turgida, & vena cava, inprimis sub duodeno, nigra, reperiebantur. Hepar, maxime pars ejus convexa inferior, pulmo sinister atque renes, sanguine nigro suffusi, atque maxima ex parte nigro colore infecta erant. Nullam bilem cystis fellea continebat. Totus ventriculus in superficie sua externa colore ex fusco-rubro imbutus erat, intrinsecus autem octo maculæ ex fusco nigrescentes cernebantur. Intestinum duodenum, atque circumposita, nigra, & reliqua tenuia ex fusco rubra erant. In ventriculo saburræ ex nigro viridescentis unciæ sex inveniebantur.

§. X.

In muliere mortua. In muliere, cujus casum §. VII. ex Morgagni scriptis citavimus, tota corporis superficies posterior, ne suris ac calcibus quidem exceptis, nigra reperta fuit. Interior ventriculi pars, præsertim ad pylori antrum, hic illic erosa erat, arsenico erosis partibus, inter membranea frusta, adhærente.

B. m.

B. m. Dn. *Frid. Ruysch* inter præparata sua anatomica, mulieris, quæ, ex vitæ tædio, se ipsam arsenico sumto necaverat, ventriculum servavit, in cujus tunica villosa plura loca erosa, arsenici moleculis obsita, cernebantur, vid. *ejus* thesaur. anat. VIII. num. LXX.

§. XI.

Arsenici flavi sympt. & vestigia.

Maritus ab uxore sua arsenico citrino necatus, mox ab ejus assumtione pessime se habuit, & vomitus continuos, anxietates, insignem lassitudinem & denique convulsiones lethiferas passus est. Inspectum corpus mortuum in cute maculas fuscas lividasque, ac papulas nigricantes copiosissimas, ut & abdomen atque intestina admodum tumida, præ se ferebat. Intestinorum ac mesenterii vasa turgida, in ventriculo liquamen fuscum fœtidumque, & hujus tunica interior manifeste erosa cernebantur, vid. *Jo. Bohnius* de offic. Med. forens. cap. VI. p. DCLIII.

§. XII.

Sandarachæ.

Sandaracham adurentis facultatis esse, & potam ventris atque intestinorum cruciatum, cum vehemente erosione, facere, apud *Dioscoridem* l. V. cap. XXIX. & *Paulum Æginetam* lib. VII. legimus. Teste *Petr. Foresto* obs. & cur. med. lib. XXX. obs. VIII. in scholio, realgar sitim atque æstuationem inducit, ita, ut æger, nisi brevi curetur, aut moriturus, aut in membris contractus superstet. *Schenckius* obs. med. l. VII. obs. CCXIV.

cui realgar, inquit, in potu datur, patietur sitim & exæstuationem, & nisi cito occurratur, aut morietur, aut paralyticus & contractus manebit. *Idem* se juvenem vidisse, qui ex hac caussa circa omnes juncturas immobilis mansisset. Puerum, post sandarachæ deglutitionem, die quarto post, convulsum periisse, a *Morgagno* l. c. l. IV. ep. LIX. art. III. relatum est.

§. XIII.

Auripigmenti. Auripigmentum, sandarachæ instar, adurente facultate præditum esse, atque deglutitum ventris & intestinorum cruciatus, cum vehemente erosione, producere, *Paulus Ægineta* & *Dioscorides* locis citatis testati sunt. Mulierem, post duas drachmas auripigmenti assumtas, cardialgiis, torminibus alvinis, hyperemesi, hypercatharsi, æstiu, siti, convulsionibus, strangulatione & syncope affectam fuisse, apud *Jo. Schenkium* l. c. obs. CCXII. legimus. *Idem* minerale haustum ardoris sensum, vomitus atque dejectiones excitasse, in Ephem. A. C. N. C. dec. III. ann. V. & VI. obs. CLXXIII. enarratum est.

Schol. Ex hactenus dictis, arsenicum in sandaracha, arsenico flavo sive naturalia, sive artificialia sint, atque auripigmento, sulphuris additione paullo quidem mitigari, minime vero virulenta atque noxia natura sua privari, satis clarum est.

§. XIV.

Cobalti. Cum cobaltum arsenicale nil, nisi arsenicum larvatum sit; ab illo non mitio-

mitiora symptomata atque effectus, quam ab ipso arsenico, expectanda sunt. Tres personas, post cobaltum arsenicale assumtum, vehementissimis torminibus, enormibus vomitibus, frigidisque sudoribus confestim laborasse, brevique obiisse, in actis A. C. N. C. tom. V. obs. CII. relatum est. Seni decrepito a nepte sua larga cabalti friabilis portio in jusculo data fuit, quo deglutito, nausea, anxietate, vomitibus, diarrhœa & denique lipyria ac sudore frigido pessime affectus fuit, ac horis viginti post fatis cessit. Corpora mortua extrinsecus livida, primæ viæ inflammatæ, & extus rubra, intus, maxime ventriculus, maculis lividis distincta, atque illarum vasa sanguifera erosa erant, vid. *M. Alberti* jusprud. med. part. 1. append. obs. XXVIII. p. CLXVII.

§. XV.

Reguli, flor. & vitr. antim.

Antimonii regulus, flores ac vitrum vi drastica prædita sunt, & cardialgias, dolores colicos, anxietatem, hyperemesin, hypercatharsin, gravissimas primarum viarum inflammationes, febrem, sitim, convulsiones, lipothymiam, ipsamque mortem producunt. A florum antimonii deglutitione largissimum salivæ profluvium, atque apoplexiam lethalem orta, atque in capite, thorace ac ventriculo mortui multam colluviem serosam inventam esse, b. m. Dn. *J. Frid. Cartheuser* in diss. de venenis, §. VI. p. XX. retulit. Dn. *J. Th. Eller* l. c. app. c. II. §. XXXI. inquit: Die Würkungen, so das vitrum und flores antimonii &c. machen, sind Ekel, über-

mäßiges Brechen, scharfe Durchfälle, heftige Schmerzen in den Gedärmen, Verhaltung des Urins, unerträglicher Durst, Spasmi, Erstarren der Glieder, heisser Brand, Ohnmachten, unerträgliche Angst und der Tod.

Obs. Ipsum antimonium improvide super ignem tractatum, sulphure partim abacto, regulinum atque nocivum fit; id quod in morsulorum restaurantium Kunckelii præparatione notandum est.

§. XVI.

Acida mineralia. Acida mineralia concentrata, oleum vitrioli, spiritus nitri & salis communis, aqua regia, humoribus coagulum inducunt, os, linguam, fauces, œsophagum atque intestina arrodunt atque inflammant, fauces strangulant, tussim convulsivam & motus epilepticos ciunt, & denique gangræna necant. Lethalia symptomata tanto citius excitare possunt, quo concentratiora sunt, majorique portione exhibentur. Aqua forti in aliorum perniciem facinorosos ex plebe quandoque uti, Dn. *Seidelius* in tr. de morbis incurabilibus, p. XIII. testatus est. Exempla pessimorum symptomatum ab aqua forti productorum, vid. apud *Jo. Schenckium* obs. medic. l. VII. obs. CCXV - CCXVII.

§. XVII.

Metalla acidis juncta. Metalla ac semimetalla, etiamsi per se innocua fuerint, acidis mineralibus juncta, vim causticam acquirunt, & arsenici instar agere, atque

atque periculosissimas arrosiones, inflammationes aliaque deleteria symptomata producere solent. Dn. *Jo. Theod. Eller* l. c. p. DCCCXCVII. inquit: Die solutiones metallorum bringen corrosiones, inflammationes, gangränöse escharas, Ekel, Erbrechen, scharfe Durchfälle, grausame tormina, passionem iliacam, Speichelfluß, Ohnmachten und den Tod, in dem menschlichen Cörper hervor. Hæc vero, plebi ignota, perraro intoxicationis scopo adhibentur. Aurum fulminans aquæ regiæ particulis fetum, crystalli lunæ, ex argento & aqua forti factæ, lapis infernalis ex illis fusus, hepar antimonii ex æquis antimonii & nitri partibus detonatione factum, crocus metallorum ex illo aqua loto factus, butyrum antimonii, ex partibus hujus regulinis atque acido salis concentrato enatum, mercurius vitæ, inepte sic dictus, seu partes antimonii regulinæ multa aqua ex ejus butyro ad fundum actæ lotæque, quin & tartarus emeticus, justo majori dosi datus, in hunc censum veniunt.

§. XVIII.

Mercur. cum acidis combin.

Mercurius acidis vario modo junctus corrosivam indolem etiam acquirit, ac dosi justo majori, aut incongruo vehiculo, exhibitus periculosissima, quin deleteria symptomata excitat. Mercurius sublimatus ex mercurio atque acido salis concentrato factus, mercurius dulcis non satis dulcatus, mercurius præcipitatus ruber, acido nitri fetus, præcipitatus albus, ex spiritu nitri ope acidi salis ad fundum actus, præcipitatus viridis, cupri particulis atque acido nitri in-

quinatus, præcipitatus luteus (turpethum minerale) cum acido vitrioli concentrato mixtus, quin & mercurius diaphoreticus fixus, pro diversa præparandi methodo, acidum vitrioli aut nitri in sinu suo fovens, huc pertinent, vid. b. m. Dn. *Car. Frid. Hundertmarck* in tr. de mercurii vivi cum salibus varie mixti summa in corpus humanum vi atque efficacia &c. Lipf. MDCCLIV. & notas meas in b. m. Dn. *Henr. Bassii* tr. de morbis venereis, p. LXXVI. *Jo. Conr. Barckhusen* in pyrotech. p. CXCI.

Schol Varias has mercurii cum salibus mixti species, aliaque metalla ac semimetalla simili ratione mutata, iterata ex aquæ lotione vel coctione, deflagratione cum spiritu vini, & tritura cum sale alcalino fixo, vel auri foliis, nonnulli dulcare satagunt; sed, cum particulis metallicis ac semimetallicis sales acidi firmissime adhæreant, illæ quidem quodammodo mitiores fiunt, sed acrem atque subdolam suam indolem minime prosus exuunt, & majori dosi vel inconveniente vehiculo, datæ noxios effectus exercere solent.

§. XIX.

Mercurius sublimatus. Si quod umquam, mercurius sublimatus venenum acutissimum præsentissimumque est. Assumtus linguam, gingivas, palatum & fauces statim arrodit, inflammat, constringit, primas vias excoriat, vehementem ardorem, anxietatem, cardialgias, enormes vomitus eosque cruentos, dolores intestinorum pungentes, immanissimos, dejectiones acerrimas, sitim clamosam, febrem ardentem, singul-

ſingultum, ſyncopen atque convulſiones excitat, & ni valentiſſimis auxiliis cito ſuccurratur, enecat, vid. b. m. Dni *Valentini* med. legal. pr. I. ſect. VI. p. CCXXV. *Ardoynus* de venenis, l. II. c. V. III. D. *Jo. Theod. Eller* l. c. append. c. II. p. DCCCXCIX. inquit: Unter die ſchärfſten Gifte gehört der Sublimat &c. dieſer verurſache eroſiones, Entzündungen, Brennen, Schmerzen, Trockenheit, und zwar anfänglich in den verletzten Theilen, hernach in dem ganzen Cörper; weßhalben der Mund, Gaume, Schlund, Magen und Gedärme zuſammengezogen, und mit dem heiſſen Brand angegriffen werden, und Erbrechen, ſchmerzhafter Durchfall, Darmgicht, groſſe Angſt, convulſiones und der Tod erfolgen werden.

Schol. Deleterio hoc pharmaco, tamquam plebi ignoto, atque effectus ſuos citiſſime manifeſtante, malefici rarius utuntur. Patrati tamen hujus veneficii exempla quædam a Dn. *Jo. Schenckio* obſ. med. l. VII. obſ. CCI-CCIV. atque a Dn. *Valentino* pandect. medic. legal. pr. I. p. DCXLI. & DCXLIII. propoſita ſunt.

Obſ. Nec externum mercurii ſublimati uſum ſemper tutum eſſe, Dn. *Petr. Borellus* aliique obſervarunt, vid. illius obſerv. cent. II. obſ. XCII.

§. XX.

Mercur. non ſatis dulcat.

Mercurius dulcis rite præparatus, compactus ſapore deſtitutus, in aqua calcis vivæ nigreſcens atque in liquore ſalis tartari, colorem aurantium non induens, innocuum omnino pharmacum eſt. At

ſufficiente mercurii portione, reiteratisque ſublimationibus, haud ſatis dulcatus, corroſivam indolem ex parte retinet, atque uſibus internis haud aptus eſt. Inter pharmaca nociva atque venena quævis medicamenta mercurialia male præparata atque acore peccantia ab ill. Dno *Ellero* l. c. merito relata ſunt.

§. XXI.

Caſus. Viro cuidam lue venerea atque faucium exulceratione laboranti internum mercurii dulcis cum lapidibus cancrorum commixti, & quidem illius grana tria, pro doſi ſingulo veſpere ſumenda, interpoſitis laxantibus, me præſcribere, memini: at uno alterove die elapſo, ſe hunc pulverem ulterius deglutire poſſe, negavit; quia vehementem in lingua, faucibus, œſophago & ventriculo ardorem excitaſſet. Hoc audito partimque viſo, illos ſeponere juſſi, & pharmacopolium viſitans, mercurium dulcem nec dulcatum, nec compactum, ſed acrem ac retiformem, deprehendi, ejusque meliorem præparationem ſerio commendavi. Conſimilia Dn. *Wagnitius* in medit. med. de mercurio dulci, Quedlinburgi MDCCII. edita, propoſuit.

§. XXII.

Mercurii præcipitati. Non tanta quidem vi, ac mercurius ſublimatus, variæ mercurii præcipitati ſpecies, utcunque edulcatæ, agunt; attamen majori portione, vel ſine aut ex incongruo vehiculo datæ, non ſine gravi noxa ſunt. Faucium, œſophagi, ventriculi atque inteſtinorum inflammationes, cardialgias, dolores colicos, horren-

horrendos spasmos, hyperemesin, hypercatharsin, febrem inflammatoriam, phrenitidem, ipsamque mortem, ab improvido illarum usu producta esse, pluribus exemplis constitit. In hoc modo interemtorum primis viis inflammationis signa, maculæ rubræ atque lividæ, inventa fuerunt, vid. Acta A. C. N. C. decad. II. anni VIII. obs. LXV. *Ejusd.* Acad. miscell. physico-med. mathem. anni MDCCXXIX. *Jo. Schenckii* obs. medic. l. VII. obs. CCV. Dn. *Fr. Hoffmann* diss. de medicamentis insecuris.

§. XXIII.

Mercurii vapores.

Mercurius vivus purus, intrinsecus vel extrinsecus rite adhibitus, innocuus quidem est. At ejus vapores per respirationis organa, atque cutis spiracula, corpus humanum intrantes, vertiginem, nauseam, strangulationem, aphoniam, artuum tremorem & convulsiones excitant; quin, majori copia simul ac semel admissi, actiones vitales repente sufflaminant.

§. XXIV.

Sales alcalini caustici.

Sales alcalinos cum calce viva, metallo aut semimetallo fusos, quibus lapis infernalis alcalinus, septicum Sutorianum, &c. accensenda sunt, causticam indolem acquirere, venenorum acrium instar agere, partes animales arrodere, inflammare, exulcerare, & febrem symptomaticam phrenitidemque producere, usu constitit. A cerevisiæ, cum saponariorum lixivio largiter remixtæ, potu plures morbis inflamma-

flammatoriis correptos & nonnullos celeriter extinctos esse, Dn. *Henr. Schulze* in diss. de cauta & circumspecta veneni dati accusatione, retulit.

§. XXV.

Venena styptica. Ad venena mineralia styptica saturnus ejusque vapores, flores, vitrum, saccharum & calces, cerussa, minium, lithargyrium, alumen, variæque vitrioli species pertinent; de quorum damnis primo generatim, dein sigillatim acturus sum.

§. XXVI.

Eorum noxæ. Venena styptica humoribus coagulum inducunt, partes solidas constringunt, partimque simul arrodunt, vasa obstruunt, viscerum obstructiones, abdominis duritiem, partium contracturas, nervorum debilitatem, paralyses, obstructionem alvinam, dysuriam, spasmos, colicam rebellem, passionem iliacam, lentas viscerum inflammationes, & febrem habitualem, in scenam producunt; quin non desunt exempla, ubi, noxia sua symptomata sat cito excitantia, morbis acutis occasionem dederunt; cujus rei mox uberiorem mentionem faciam. B. m. Dn. *Jo. F. Cartheuser* in diss. de venenis, §. IX., toxica, inquit, dantur, quæ pedetentim, more febris lentæ & hecticæ, sanitatis fulcimenta dejiciunt, lentamque mortem adducunt; quod in specie de saturninis notissimum est.

§. XXVII.

Saturni vapores. Saturni vapores noxios esse, fossores in plumbi metallis opus facientes, nec

nec non fusores, argentum saturni ope in cineritio magno depurantes, ingente suo damno experiuntur; cum asthmate enim rebelli, colica saturnina, viscerum obstructionibus, partium contracturis, paralysi ac febre habituali conflictantur, vid. b. m. Dn. *Jo. Fr. Henckel* tr. von der Berg-Sucht und Hütten-Katze, Dreßden 1745. Figulos, saturnum sæpe in igne tractantes, cachecticos, asthmaticos atque paralyticos fieri, haud ignotum est, vid. Dni *Jo. Andr. Fischeri* diss. de saturni natura, usu & noxa, Erfordiæ MDCCXX.

§. XXVIII.

Saturninorum acidis solutorum.

Saturnina acidis soluta, v. c. saccharum saturni, acetum lithargyrii, vina saturninis largiter adulterata, ore hausta non semper lente, sed quandoque satis impetuose agere solent. Me, post nonnullas vini lithargyrio imbuti uncias haustas, statim spasmis in faciei musculis, nausea & vomitibus, alios doloribus colicis, febre acuta, nonnullis lethali, & convulsionibus correptos esse, memini. Dn. *Christ. Godofr. Stenzelius* in diss. de venenis acutis, Vitemb. MDCCXXXII. edita, plures, inquit, lithargyrii usu febre continua & convulsionibus correpti, & repentina morte sublati sunt. Teste Dn. *Percivall* in den Beobachtungen und Erfahrungen über die Bleygifte, venena saturnina hominibus & brutis, morbos acutos vel chronicos producendo, nocent; nec eorum usus externus semper innocuus est. Dn. *Jo. Theod. Ellerus* l. c. p. DCCCXCVIII. inquit; Die præparata aus dem Bley und dessen minera, als minium, calx saturni, cerussa, lithargy-

thargyrium, vitrum ſaturni, acetum lithargyrii und beſonders das ſaccharum ſaturni, woraus die baſis des ſogenannten Succeßions-Pulvers genommen wird, conſtringiren, obſtruiren, verdicken die flüßigen Theile, ſchwächen die Nerven, und verurſachen alſo meiſtens nicht einen gar zu geſchwinden, doch gewiſſen Tod.

§. XXIX.

Aluminis. Alumen, maxime autem calcinatum, inſigni vi ſtyptica gaudet, omnesque noxas venenis ſtypticis proprias dare poteſt. Teſte *Betrutio*, alumen deglutitum tuſſim vehementem facit, quæ perdurans ad phthiſin paullatim diſponit. Juvenem laboribus ſub cœlo calido exæſtuatum, poſt aquæ aluminoſæ potum, nauſea, vomitu atque ſcabie ferina correptum eſſe, recordor.

§. XXX.

Vitriolorum. Vitriolum, calcanthum, in martiale (viride), venereum (cæruleum) & zinco-ſaturninum (album, Galitzenſtein) dividitur; prout ſcil. acidum primogenium aqua dilutum marte, venere, zinco plumboque conjunctum eſt. Dari etiam vitriola compoſita, experientia docet. Vitriolum martis purum natura non ſuppeditat, ſed cupro plus minusve inquinatum, vid. hiſtor. acad. regiæ ſcient. Pariſ. MDCCVII. p. L. Omnes autem vitriolorum ſpecies vi ſtyptica & cauſtica & venereum inprimis cauſtica gaudet. B. m. Dn. *Jo. Fridr. Cartheuſer* mater. med. pr. I. ſect. VI. §. VI. vitriola, inquit, per ſe, ob principia metallica rudi-

rudiora, & vires summe stypticas, quin caustiicas, (quod posterius de vitriolo veneris maxime valet) internum usum nunquam inveniunt. Ill. Dn. *Jo. Th. Eller* l. c. inquit: Das vitriolum veneris, und einige præparata aus dem Kupfer, verursachen Ekel, Erbrechen, Durchfälle, heftige Schmerzen in den Gedärmen, Durst, Erstarrung der Glieder, gangrænam und den Tod.

§. XXXI.

Gypsi. Dum gypsum, cum humoribus animalibus induresscens, primas vias atque vasa chylifera pertinaciter obstruit, nullamque solutionem iterum admittit, non potest non deglutitum certissima mortis caussa existere. *C. Proculejum*, cui propior cum Augusto familiaritas erat, gypso, contra stomachi dolorem poto, mortem sibi conscivisse *Plin.* histor. nat. lib. XXXVI. c. LIX. retulit. Perfidia *Emanuelis*, imperatoris Bizantini, nota est, qui gypso, pulverato farinæ triticeæ admixto, magnam imperatoris Conradi III. exercitus partem, circa seculi duodecimi medium necaverat, & sic hujus expeditionem bellicam contra infideles irritam fecerat.

§. XXXII.

Veget. acr. venenat effectus. Noxios vegetabilium acrium venenatorum effectus a sale acido caustico, pendere, b. m. Dn. *J. Fr. Cartheuser* in diss. de venenis, sect. III. §. II. asseruit, vertiginem, oculorum caliginem, temulentiam, cephalalgiam, lassitudinem, constrictionem atque ardorem in faucibus & primis

mis viis, erosiones, inflammationes, cardialgias, vomitus, febrem, sitim, phrenitidem, singultum, convulsiones, soporem, lipyriam ipsamque mortem comesta producunt.

§. XXXIII.

Conii mac. & cicut. aquat. Conio maculato, vel cicutæ majori terrestri, atque cicutæ aquaticæ Gesneri noxii vegetabilium venenatorum effectus modo enumerati competunt. *Paul. Ægineta* l. V. c. XLII. cicutam, inquit, potam caligo vertiginesque insequuntur; ut nec minimum videre liceat; item singultus, mentis alienatio & artuum pruritus comitatur, ultimoque convulsi præfocantur. Ejusdem damna Dn. *Jo. Theod. Eller* l. c. pag. DCCCLXXXIII. sequenti modo describit: Die an sumpfigten Orten wachsende cicuta major, vel aquatica, verursachet heftiges Brennen, convulsiones, starkes und brennendes Uriniren, heftiges Erbrechen, Schluchsen, Zuschnürung der Kehle, Angst, Schwindel, Aufschwellen des Leibes, Tollheit, Brand und den Tod. Statim a radicis cicutæ aquaticæ esu in nonnullis personis temulentiam, postea insignem lassitudinem, vomitus atque deliria orta esse, in commerc. lit. Norimb. MDCCXL. hebd. XLV. pag. CCCLIII. traditum est. De mortifera cicutæ vi *Jo. Schenckius* obs. med. l. VII. obs. CXXXIII. nonnullos casus proposuit. Radicis cicutæ aquaticæ esum dolorem acutum in ventriculo, spasmos terribiles, trismum, oculorum distorsionem, inanes vomendi conatus, præcordiorum distensionem, singultum, atque aurium hæmorrhagiam produxisse,

post

post mortem continuum spumæ viridis ex ore profluvium contigisse, atque ventriculum inflammatum intus maculis rubris variegatum, & circa utraque orificia constrictum inventum fuisse, *J. Jac. Wepfer* in tr. de cicuta aquatica, Basil. MDCXCVII. edita, p. LX. testatus est.

Schol. Atheniensium cicuta pharmacum compositum fuisse, creditur, v. *Sigm. Frid. Dresigii* diss. de cicuta publica Atheniensium pœna.

Obs. Cicutam in Italia non adeo exitiosam esse, & asinos eam depascentes in somnum atque torporem adeo profundum incidisse, ut plane mortui viderentur, at sub ipsa pellis detractione non sine magno excorianti-um terrore & spectantium risu expergiscerentur, *Matthiolus* in comment. ad Dioscor. l. IV. c. LXXIV. retulit.

§. XXXIV.

Æthusæ. Æthusæ, vel cicutæ minoris, petroselino similis, virulentia quidem minor, quam reliquarum cicutæ specierum, est, eam tamen pro innoxia minime habere possumus. Ab ejus esu vertiginem, cephalalgiam, cardialgiam, atque amentiam ortas esse, in commerc. liter. Norimb. MDCCXL. hebd. XLIX. p. CCCLXXXVIII. legimus. Eandem vescentium mentes graviter turbare, *Jo. Schenckius* l. c. obs. CXXXIV. testatus est. Illam cuti extrinsecus impositam hanc inflammare, notum est. Conf. Commerc. lit. Norimb. MDCCXLI. pag. LXXI.

§. XXXV.

Oenanthes crocatæ.

Oenanthen crocatam totam venenatam esse, b. m. Dn. *Herm. Boerhaave* in hist. plant. p. LXXIX. asseruit. Homines a solo ejus gustu intra bihorium obiisse, Dn. *Stalpart van der Wiel* in obs. rarior. Amstelodami MDCLXXXII. edit. pag. CXXXIX. retulit. Ab esu radicis œnanthes crocatæ septem puellas interiisse, in transact. philos. MDCCXLVI. pag. CCXXVII. propositum est. Ab eadem caussa XXXVI. milites convulsos, & præter unum, emeticis salvatos, in illo autem intestina maculis gangrænosis obsita fuisse, in Dni *van der Monde* diario ad med. chir. ac pharm. pertinente, Paris. MDCCLVIII. edito, tom. IX. p. CCCCXXX. relatum est.

§. XXXVI.

Sii latifolii.

Sii latifolii, apii palustris, vel cicutariæ, radicem venenatæ indolis esse, in actis acad. reg. Suecicæ MDCCL. trimestri ult. n. IX. testatum est. De hac planta ejusque radice & succo, Dn. *J. Th. Eller* l. c. pag. DCCCLXXXIV. inquit: Sie sey der stärkste zur Zeit bekannte Gift aus dem regno vegetabili, und bringe die heftigsten Symptomata hervor: Z. E. Benehmung des Verstandes, Todtenfarbe, Cardialgien, Erbrechen, Schluchzen, Convulsionen, den Brand und in wenig Minuten den Tod. Bey der Eröfnung der daran verstorbenen Leichen hat man den kalten Brand, extravasirtes Blut, und bey manchen einen durchlöcherten Magen angetroffen.

§. XXXVII.

Venenis vegetabilibus acribus thapsia fœtida merito accensetur, vid. Dn. *Cranzius* in mater. med. tom. III. p. LIII. Chærephylli sylvestris folia & radices deliria mortemque produxisse, a Dn. *Jo. Bauhino* hist. plant. III. p. CLXXXI. & Dn. *Heldio de Hagenheim* in miscell. Wratisl. MDCCXXVII. p. DLXXVIII. testatum est. Chærephyllum bulbosum ad cicutæ naturam proxime accedere, Dn. *Herm. Bœrhaave* hist. plantar. I. p. CXII. Selini sylvestris atque palustris radices acerrimum succum fundere & hunc gustatum os faucesque inflammare, ab eodem l. c. p. CIX. discimus. *Heracleum*, sphondilium vulgare, hirsutium, peracre esse cutimque inflammare *idem* l. c. p. CVIII. & Dn. *Gmelinus* flor. Sibir. tom. I. p. CXXIV. testati sunt.

Thapsiæ, Chærephyll, &c.

§. XXXVIII.

Succum acerrimum variæ euphorbiarum species quoque continent, qui nauseam, hyperemesin, inflammationes, erosiones, singultum atque convulsiones excitant. Idem de euphorbiæ aculeatæ lacrymis (euphorbio) statuendum est. *Petr. Forestus* obs. & curat. med. l. XXX. obs. X. euphorbium, inquit, nimia quantitate assumtum, ventriculi atque intestinorum ardorem, dolorem, inflammationem, singultum & ventris fluxum excitat. Casum viri, post euphorbium ab empirico datum, intra nychthemeron diarrhœa dolorifica extincti, *Alex. Benedictus* pract. l. XII. c. XVII. retulit. Dn.

Euphorbiarum.

Jo. Th. Eller l. c. p. DCCCXCIV. inquit: Das Euphorbium ist sehr hitzig und scharf. Wenn es auf die Haut gelegt wird; so verursachet es Entzündungen, und ziehet Blasen. Innerlich gegeben macht es Hypercatharses, grausame Tormina, Schluchzen, Entzündungen, Zittern, Ohnmachten, kalten Schweiß und den Tod. Der üblen Folgen wegen hat man die daraus bereitete Arzeney-Mittel abgeschaft; welches auch billig mit den granis tigliæ, semine cateputiæ, coccognidii &c. geschehen sollte, welche alle, beynahe wie das euphorbium, deleterische effectus produciren.

Schol. De gummi gutta, vel gambogiæ succo inspissato, resina scammonii & gialappa majori dosi datis consimilia affirmari possunt.

§. XXXIX.

Aconiti. Aconitum, napellus flore cœruleo, venenum causticum, validissimum atque ocyssimum est, atque ad cicutæ virulentiam accedit. Solum ejus odorem lipothymiam excitasse, memini. Tela napelli succo illinita intra horæ spatium interficere, *Petr. Forest.* l. c. l. XXX. obs. I. in schol. testatus est. Assumtus vertiginem, vehementem cephalalgiam, cardialgias, deliria atque convulsiones concitat, & in cerebrum nervosque potissimum agere videtur. *Dioscorides* de medicinali materia l. VI. c. VII. aconitum, inquit, statim in lingua inter bibendum, cum adstrictione quadam, dulcescit, & subinde, potissimum cum exsurgere conantur, vertigines offundit, lacrimas ciet, gravitatem pectori & præcordiis affert, simulque cerebri spiritus

ritus deflantur. *Jo. Schenckius* l. c. l. VII. obſ. CXXXVI. aconitum, inquit, velociſſimum venenum eſt, & horrenda atque lethalia ſymptomata producit. Dn. *Jo. Theod. Eller* l. c. pag. DCCCLXXXII. ait: Die Kennzeichen des eingenommenen Napelli ſind Erſtarrung der Augen, Schwindel, groſſe Angſt, Brennen in dem Magen, Brechen, Schluchzen, Colic, Fieber, Tollheit, Convulſionen, Schlafſucht und Brand. Die Leichen bekommen gemeiniglich eine Bleyfarbe davon und ſchwärzlich. Conf. Dn. *Wepferus* l. c. c. X. & Acta A. C. N. C. dec. II. anni III. obſ. CXV. ac dec. III. anni IX. obſ. LII.

Obſ. Etſi napello intoxicati quandoque evaſerint; attamen in hecticam atque hydropem inciderunt, vid. Dn. *Ellerus.* l. c.

§. XL.

Ranunculi ſcelerati.

Ranunculus paluſtris flore miniato, ſceleratus, herba ſardonia, peracris eſt, eroſiones, inflammationes, deliria, convulſiones, triſmum, riſum ſardonium, &c. excitat. *Paul. Ægineta* l. V. c. LI. quæ ſardonia, inquit, herba nominatur, ranunculi ſpecies eſt, quæ comeſta vel pota mentem adimit, atque convulſiones adfert, cum labrorum contractione, ut riſus imaginem præbeat. Juvenes quosdam hanc herbam in acetario ediſſe, brevique extinctos eſſe, ab *Amato Luſitano* in comment. ad Dioſcoridis l. VI. c. XIV. enarratum eſt. Conſ. *Aetius* l. XIII. c. LXVI.

§. XLI.

Hellebororum.

Veratrum (helleborus albus) fauces inflammat, cardialgias, tormi-

na colica, hyperemeses, hypercatharses, sitim, febrem, deliria, convulsiones, singultum, syncopen, sudorem frigidum &c. producit. *Hippocrates* sect. IV. aph. XVI. helleborus, inquit, periculosus est; convulsionem enim inducit. Virum ab helleboro albo sumto in convulsiones, mulierem ab infuso ejus vinoso in vomitum enormem, choleram, animi defectum & anhelitus præfocationem incidisse, ac vix servatos esse, *Jo. Schenckius* l. c. l. VII. obs. CLXXVI. Virum, sequi ejus drachmis sumtis, extinctum fuisse, *idem auctor* l. c. obs. CLXXVII. retulit. A tali infuso mulierem vomitu enormi, ventris torminibus ac tumore, præfocatione, cordis palpitatione, animi deliquio atque convulsionibus correptam esse, *Petr. Forestus* l. c. l. XXX. obs. IX. memoriæ prodidit. Ex helleboro nigro vomitum copiosum, atque enormem ventris fluxum mulieri cuidam accidisse, apud *eundem* l. c. legimus. Hellebori nigri extracto primas vias inflammatas esse, Dn. *J. B. Morgagnus* observavit, vid. de sedibus & caussis morbor. l. IV. ep. XLIX. artic. XIV. & XV. Vulnera telis succo hellebori nigri imbutis facta absolute lethalia esse, Dn. *J. Frid. Cartheuser* in diss. de venenis, §. VII. asseruit.

§. XLII.

Colocynthidis. Colocynthis drasticum purgans est, ac vehementissima tormina excitat. Referente *Guainerio*, mordicationem in stomacho ac ventre, cum tanta virium prostratione, inducit, ut, nisi cito succurratur, æger intra diem tertium moriturus sit. Eam supra modum

modum stomacho adversari, *Dioscorides* l. IV. cap. CLVIII. docuit. Eandem nervos afficere, atque ulcera concitare, a *Paul. Ægineta* lib. VII. c. IV. traditum est. Mulieribus suspectis, ob drasticam vim, nunquam porrigi debet.

§. XLIII.

Cucumeris sylvestr.

Cucumeris sylvestris, vel asinini, succus salem acrem continet, ac drasticum purgans est, quod etiam de ejus extracto, elaterio, valet. *Aetius* l. XIII. c. LXXXI. ex his, inquit, quæ homini aliquando periculum inducunt, elaterium est. Referente *Bertrutio*, cucumeris sylvestris succus ventris fluxum, ad syncopen & mortem usque, concitat. Dn. *Jo. Theod. Eller* l. c. p. DCCCXCIV. inquit: Das Elaterium wird billig für ein scharfes und gröstentheils giftartiges Medicament gehalten, dessen Gebrauch sehr angreifend ist, und öfters fluxum cruentum nach sich ziehet; welches auch von andern scharfen Purgiermitteln, z. E. des gummi guttæ, scammonio, asaro, cortice mezerei, gratiola &c. gilt.

§. XLIV.

Nerii.

Nerium (oleandrum) ejusque succum, intra paucas horas necare, experientia docuit. *Petr. Forestus* l. c. lib. XXX. obs. X. in scholio inquit: qui oleandri folia vel succum sumserit, anxietatem, ventris inflammationem, & tandem syncopen, patietur. Anus, quæ rhododaphnes succum cum vino biberat, in vomitus vehementes incidit, siti laboravit, & hora nona, post epotum succum,

interiit. Post mortem in prono corpore omnia a capite ad calces usque livida erant. Venæ primarum viarum atque omenti valde distenta animadvertebantur. Pulmo dexter a tergo valde rubebat. In ventriculo ac duodeno humor viridis, nullæ autem læsiones, inveniebatur, vid. Dn. I. B. *Morgagnius* l. c. l. IV. ep. LIX. art. XII. A carnibus in veru ex oleandri ligno facto assatis nonnullos mortuos esse, Dn. *Jo. Schenckius* l. c. l. VII. obs. CXXXV. retulit.

§. XLV.

Rhus myrtifol. & taxi. Rhus myrtifolia non modo pecorisque pecudibus, sed etiam hominibus, perniciosa est, vid. *Galenus* de simpl. medicamentorum facultatibus, l. VIII. Ab illa horrendam citoque lethalem convulsionem excitatam esse, Dn. *Sauvages* in actis acad. regiæ scient. Paris. MDCCXXXIX. retulit. Taxi succus in regionibus calidioribus virosus est. *Dioscorides* l. alexiph. c. XII. taxus, inquit, in potu adhibita strangulatum, universi corporis frigus atque interitum celerem infert.

§. XLVI.

Fungorum venenator. notæ. Inter vegetabilia, quæ virosa acrimonia nocent, fungi sale caustico feti merito referuntur. Quædam signa eorum diagnostica sic satis communia, at non perpetua habemus, v. c. colorem luridum, odorem tetrum ac nauseosum, mollitiem, succum, quem continent, lacteum, & quo obducuntur, viscidum, facilem in liquamen foeti-

fœtidum nigrumque dilapsum, & loca, in quibus crescunt, palustria.

§. XLVII.

Eorum speciei.

In fungorum venenatorum censum veniunt: I. Agaricus piperatus *Lin.* vel agaricus albus, acris *Gleditschii.* II. Agaricus lividus fimetarius *Lin.* (der Kröten-Schwamm, Mist-Schwamm.) III. Agaricus acris, pileolo convexo, in centro depresso, margine rugoso striato, vel amanita petiolo farto, pileolo convexo, umbilicato, oris rugosis, lamellis albis. IV. Agaricus muscarius *Lin.* pileolo rubro vel fusco, maculis albis. (Fliegen-Schwamm.) V. Agaricus pileolo cucullato, viscido, nigro, petiolo fistuloso candido, *Gleditschii.* VI. Agaricus ex una basi multiplex, pileolo croceo plano, maculis spadiceis variegato, lamellis viridibus, petiolo cylindrico annulato, fistuloso, dilutius flavescente, *Gleditschii.* VII. Amanita pileolo pallido, maculis nigricantibus notato, pediculo bulbiformi, *Dillenii.* VIII. Amanita fasciculosa, pileolo ex ruso fusco, maculis nigricantibus distincto, *Dillenii.* IX. Fungus bufonius, orbiculatus C. B. flavus vel fuscus, maculis albis & nigris distinctus. X. Agaricus varii coloris, squamosus *Maur. Hoffmanni.* XI. Boletus arboreus, pernitiosus *Tournefortii*, vel polyporus sessilis, cespitosus, planus, hirsutus, annulis versicoloribus, *Halleri.* XII. Boletus lævis, viscidus, superne coloris fusci, inferne lutei, *Dillenii.* XIII. Phallus impudicus *Lin.* De his Dn. *F. Aug. Cartheuser* in duobus progr. de fungorum venenatorum no-

dotis, Giessæ MDCCLXXVII. editis uberius egit.

§. XLVIII.

Eorum effectus. Periculosa fungis noxiis debita symptomata eo redeunt, ut iis intoxicati strangulatione, ventriculi inflatione, ardore, cardialgiis vehementissimis, doloribus colicis, dysuria, mictu cruento, dysenteria, febre, siti, delirio, singultu, artuum tremore, trismo, convulsionibus, assode, lipyria, syncope, comate somnolento, & sudoribus frigidis laborantes, cita morte rapiantur. Sola etiam apepsia fungi noxam inferre possunt; hinc illos, qui in coquendo duriores fiunt, *Plin.* l. XXII. c. XXIII. merito damnavit. Conf. *Aetius* lib. XIII. cap. LXXIII.

§. XLIX.

Testimonia. *Dioscorides* de medicinali materia l. VI. c. XXIII. fungorum, inquit, alii genere, alii copia, lædunt. Omnes tamen strangulatus, suspendio similes, generant. Teste *Guaingrio*, fungos malos edentes ventris & stomachi inflationem incurrunt, cum pectinis dolore atque urinæ retentione, iisque postea pulsus parvus, strangulatio, syncope, sudor frigidus, ac tandem mors, succedunt. Dn. *Jo. Theod. Eller* l. c. pag. DCCCXCV. inquit: Die Würkungen, so die vergiftete Schwämme in dem menschlichen Cörper hervorbringen, sind folgende: Aufblasen des Magens, Schluchzen, Brennen, Durst, Colic, blasse Farbe, Suppressiones des Urins, Erstarren der Glieder, Inflamma-

mationes, Dysenteria, kalter Schweiß, schwacher Puls, Ohnmachten, Convulsiones, Sopores, Deliria, und, wo nicht bald Hülfe geschafft wird, der Tod.

§. L.

Exempla.

Ex fungorum venenatorum esu multos e vita raptos esse, *Galenus* de alimentorum facultatibus, l. II. c. LXIX. testatus est. *Plinius* l. c. fungi suilli, inquit, venenis accommodatissimi sunt. Familias nuper interemerunt & tota convivia, Anneum Serenum, præfectum Neronis vigilum, & tribunos, & centuriones. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi? Casum virginis, post fungorum venenatorum esum, vehementissimis convulsionibus clonicis atque tonicis affectæ *Petr. Forestus* l. c. l. X. obs. CXVI. & *Jo. Schenckius* l. c. l. VII. obs. CLXXX — CLXXXIII. nonnullos tragicos casus consimili caussæ debitos, retulerunt. A fungis venenatis comestis nonnullos juvenes intra XXXVI. horas periisse, Dn. *Stalpart van der Wiel* observ. rariorum cent. I. historia XL. memoriæ prodidit.

§. LI.

Atropæ.

A baccis atropæ comestis faciei tumor & rubor, vertigo, artuum tremor, anxietas, nausea, vomitus, cardialgiæ, dolores colici, alvi & urinæ obstructio, vomitus, strangulatio, sitis, febris, delirium, rigores, convulsiones, sopor, sudores frigidi &c. oriuntur. Dorycnium potum, quod aliqui solanum furiosum

sum nominant, teste *Paulo Ægineta* l. V. c. L. gustum quidem lactis repræsentant, sed singultus crebros facit, linguæ humiditatem, & cumulatam sanguinis eductionem. Per alvum mucosa feruntur, simillima torminosis. Dn. *Jo. Theod. Eller* l. c. p. DCCCXCI. inquit: Das Solanum majus, oder Bella Donna, ist den Menschen ein Gift. Am schädlichsten sind die Beere, welche toll und unsinnig machen, und die Menschen, durch einen tiefen Schlaf und kalten Schweiß, um das Leben bringen. Bey Kindern hat man wahrgenommen, daß selbige bald darauf unter Convulsionen sterben.

§. LII.

Casus. Adolescens & anus quædam paucas, at alia anus plures, & senex quidam tot, quot media pilei cavitas capit, maturas atropæ baccas in sylva, horis meridianis comederant. Paullo post vertigine, artuum tremore, nausea sitique corripiebantur. Domum redeuntes adolescens atque anuum altera, qui nonnisi paucas baccas deglutierant, præter dicta symptomata, cardialgiis, doloribus colicis, spasticis colli ac dentium doloribus, alvi obstructione atque ischuria laborabant, illorumque venæ tumidæ conspiciebantur. Oxycrato largiter ingesto, saburram æruginosam vomitu rejiciebant, nec ulteriora mala symptomata patiebantur. At altera anus, quæ plures baccas devoraverat, vehemente anxietate, vomitu, delirio, convulsionibus, ac pertinaci alvi atque urinæ obstructione, laboravit, & venæ ejus admodum tumidæ erant. Altero mane in delirium atque trismum incidebat, oculi

oculi rigebant, fluida aversabatur, multoque sudore diffluebat. Attamen & hæc, adhibitis antidotis, orci faucibus erepta fuit. At senex, baccis istis lethiferis ad satietatem usque repletus, faucium strangulatione, delirio, extremitatum rigoribus, convulsionibus clonicis, sensuum abolitione, sopore ac stertore afficiebatur. Facies intense rubebat, pulsus celer & magnus, venæque admodum tumidæ erant. Ex vena in brachio secta sanguinis fluidissimi unciæ XII. sine levamine mittebantur. Pharmaca data nihil auxilii spondebant, & proxima nocte miser mortem cum vita commutavit. Casus hos cl. Dn. D. *Müller*, Physicus comitatus Hungensis, cum societate Academ. Hassiaca communicavit.

§. LIII.

Alii casus.

Duæ feminæ atque puer decennis, & quidem illarum altera paucas, altera paullo plures, puer autem copiosas solani furiosi baccas, ad sitim fallendam, comederant. Temulentia, capitis rubore ac tumore actutum omnes afficiebantur. Feminarum alteri, quæ paullo plures deglutierat, æstus insuper atque deliria accidebant. Puer autem, emeticis incassum adhibitis, nocte proxima obiit, spuma sanguinea post mortem ex ore illius copiose effluente, vid. commerc. liter. Norimb. MDCCXXXI. p. CCCXXXII.

§. LIV.

Ultimus.

Puerulus trimulus versus vesperam solani baccas in sylva vicina devoraverat. Hora ejusdem diei octava vesperti-

na

na de ventris dolore querebatur, brevi post, oculis distortis, furore corripiebatur, & in misero tali statu manens, hora sequentis diei octava matutina moriebatur. In corpusculo mortuo abdomen quodammodo inflammatum erat. Cuncta intestina, inprimis jejunum atque colon, flatibus turgida ac inflammata, & ex visceribus mesenterium atque pulmones inflammatione etiam correpta erant. In ventriculo dictarum baccarum pelliculæ multaque semina, atque in intestino recto integra bacca cum multis seminibus inveniebantur, vid. commerc. liter. Norimb. anni MDCCXLIII. hebd. VIII. p. LXI. conf. Miscellanea A. C. N. C. dec. II. anni X. obs. CVIII. & CXVIII. *Jo. Schenkii* obs. medic. l. VII. obs. CLXIV. *Dan. Sennerti* l. VI. pr. VII. c. IX. *Mich. Alberti* jurispr. med. tom. III. casus XXXVIII. Dn. *Christ. Sicelii* tr. de bella donna, vel solano furioso. Cel. Dn. *Ant. Wilh. Plazii* diss. de atropa bella donna, Lips. MDCCLXXVI.

§. LV.

Solani officin.

Solanum nigrum, vel officinarum, ad atropæ virulentiam quidam non accedit, minime tamen innoxium est, sed ad narcotica pertinet; adeoque ab usu ejus interno abstinendum est. Stupefacientibus minus tutis Dn. *I. L. L. Læsecke* in materia medica p. DLXIX. illud accensuit. Ejus baccas insaniam producere, ill. *Ellerus* l. c. p. DCCXCI. perhibuit. *Jo. Schenckius* observ. med. l. VII. obs. CLXIII. dissimulandum, inquit, non est, baccas solani somnum inducere, quod ipse tribus

aut

aut quatuor ex eo genere deguſtatis acinis expertus ſum; admonendi ergo ſunt omnes, ut a nimio eorum uſu abſtineant. Scripſit ad me D. *Geor. Oëtinger* Norimbergenſis, quosdam pueros per imprudentiam plures, quam par erat, ſolani acinos devoraſſe; ita quidem, ut duo ex illis occubuerint, tertio ſuperſtite.

§. LVI.

Hyoſcyami.

Hyoſcyamus albo-niger quidem pernitioſior eſt; ſed & ille noxa non caret; uterque enim, diverſo tamen gradu, vertiginem, cephalalgiam, ſtuporem, anxietatem, inflammationem, delirium, convulſionem, rigores, lipothymiam, affectus ſoporoſos, ſudorem frigidum & apoplexiam producit. Ab hyoſcyamo dolorem in corporis peripheria, ac ſi flagris cæſa fuiſſet, oculorum ruborem ac pruritum, corporis jactationem ac diſtorſionem produci, *Aetius* l. VI. c. XVIII. teſtatus eſt. Hyoſcyamum potum aut comeſtum ſimilem ebriis abalienationem movere, *Dioſcorides* lib. VI. c. XV. aſſeruit. Eundem *Galenus* ſimplic. l. VIII. deleterium nominat. Ex comeſtis hyoſcyami nigri ſeminibus puellam anxietate, delirio, convulſionibus atque tetano lethali correptam, atque infantem quadrimum ex eadem cauſſa faciei rubore, delirio, ſomnolentia atque ſtupore affectum eſſe, in miſcell. A. C. N. C. anni III. obſ. XXI. relatum eſt. Virum nobilem, XV. grana ſeminis hyoſcyami contra lateris dolorem ſumentem, in phreneſin incidiſſe & puerulum ex ſimili cauſſa convulſiones per nychthemeron paſſum

eſſe,

esse, *Jo. Schenckius* l. c. l. VII. obs. CLII. memoriæ prodidit.

Obs. Seminis accensi fumum enormes vomitus, vertiginem atque maniam produxisse, Dn. *Borellus* obs. med. physic. cent. IV. obs. V. testatus est. Viri casum, qui ex eadem caussa in phrenesin inciderat, apud Dn. *Schenckium* l. c. legimus.

§. LVII.

Lolii temulenti. Lolium temulentum vertiginem, cephalalgiam stuporem, amentiam, nauseam, vomitum, debilitatem, spasticas affectiones, inflammationes, soporem, humorum cacochymiam atque exanthemata cutanea excitat. *Galenus* l. VI. simpl. & l. I. de aliment. facult. cum anni, inquit, constitutio prava fuisset, lolium tritico affatim innasci contigit; quod cum, ob paucum tritici proventum, neque agricolæ, neque pistores accurate purgassent; statim multis caput dolore cœpit; ineunte vero æstate in cute multorum ulcera, aut alia symptomata, quæ humorum pravitatem indicarent, subsecuta sunt. Ill. *Jo. Theod. Eller* l. c. pag. DCCCLXXXIV. inquit: Wenn das Lolium temulentum, (Trespe) reichlich unter das Brod gebacken, oder unter das Bier verbrauet wird; so äussert es eine starke vim narcoticam, und verursachet Schwindel, starken Kopfschmerzen, Dummheit, Tollheit, Ekel, Erbrechen, Herzensangst, Schwäche des generis nervosi und ganzen Cörpers, allerhand krampfhafte Krankheiten und Entzündungen.

§. LVIII.

§. LVIII.

Inſpiſſatus papaveris orientalis hirſuti ſuccus, opium, in nervos eorumque ſpiritus maxime agere videtur. In parva doſi ſumtum indolentiam gratamque ecſtaſin efficit, excretionesque, præter periphericam, retardat, vel aliquamdiu ſufflaminat. In adſuetis orientalibus non niſi ejus drachma media vel integra ſummam ebrietatem produci aſſerunt. In non adſuetis a doſi ejus, vel præparatorum, inprimis ſpirituoſorum aut fermentatione exaltatorum, juſto majori pulſus augmentum, ſanguinis ſolutio, orgasmus, verſus encephalum regurgitatio, vaſorum expanſio, cerebri preſſio, vertigo, oculorum tenebricoſitas, ſtupor, veternus gravis, pruritus in cute a ſomno ſubinde excitans, reſpiratio parva atque difficilis, labrorum intumeſcentia, plumbeus faciei color, unguium livor, convulſio, maxillæ paralyſis, lipyria, frigidus ſudor, opium redolens, &, niſi cito ſuccurratur, apoplexia ipſaque mors in ſcenam producuntur, vid. *Aetii Amideni* operis med. l. V. c. XXXIV. l. VI. c. VII. l. XIII. c. LXVIII. Teſte *Dioſcoride* de re medicinali, l. VI. c. XVII. epoto papaveris ſucco, quem meconium vocant, veternus cum pruritu vehemente oritur, ita, ut ſæpe, invaleſcente veneno, tanta prurigo erumpat, ut hominem excitet. *Opii.*

Obſ. Sola opii effluvia ſtuporem atque ſoporem excitaſſe, obſervatum eſt.

§. LIX.

Mulierem, poſt opium aſſumtum, altero die mortuam inventam eſſe, *Caſus & inventa.*

Petr. Forestus l. c. l. XXX. obs. X. in scholio testatus est. Viro opii drachmam deglutitam intra VII. horas mortem attulisse, apud *Fallopium* in tr. de composit. medic. legimus. Nonnulla subitaneæ mortis exempla ab opio, sub clysteris vel suppositorii forma, dato, aut corpori illito, *Jo. Schenckius* l. c. lib. VII. §. CLXXXVI. memoriæ prodidit. In corporibus mortuis interna ventriculi superficies, muco quasi deterso, hic illic rubea, ut in inflammationis principio, inventa, ac pylorus clausus fuit.

Obs. Nimius croci usus consimiles, ut opium, effectus edere solet, nimirum somnolentiam, dementiam &c. Agasonem quendam super duabus croci sarcinulis dormientem eadem nocte obiisse, ab *Amato Lusitano* ad Dioscoridis l. I. c. XXV. enarratum est.

§. LX.

Cantharidum. Morbi a viperarum, quorundam serpentum atque animalium rabidorum morsu ortum ducentes ad medicinam practicam, non autem ad forensem, pertinent. Noxarum autem a cantharidibus culpose vel dolose copiosius datis ortarum ratio in jurisprudentia medica utique habenda est. Illas cuti applicatas eam inflammare atque exulcerare, vulgo notum est. Intrinsecus temere sumtæ, vel dolose datæ, nonsolum ardorem in toto corpore producunt, & fauces ac primas vias, sed etiam partes remotiores, v. c. renes & vesicam urinariam inflammant atque exulcerant, quin etiam mixtum cruentum ominosum excitant, qui sub-

ſubinde etiam inprovidum illarum uſum externum ſecutus eſt, vid. ill. *Jo. Theod. Eller* l. c. pag. DCCCCV.

§. LXI.

Annotante *Petro Foreſto* obſ. & *Caſus.* curat. medic. l. XXX. obſ. VI. vir, cui cantharides exhibitæ fuerant, eroſionis ſenſum ab ore ad veſicam uſque habuit, & dextrorum præcordiorum inflammatione, dyſuria, mictu cruento, dyſenteria, vertigine atque animi deliquio correptus eſt. A rhabarbaro in mortario, cantharidum pulveratarum reliquiis inquinato, contuſo mictum cruentum & veſicæ exulcerationem orta eſſe, apud *Jo. Schenkium* l. c. l. VII. obſ. CXXIII. legimus. Ab *eodem autore* l. c. obſ. CXXVI -- CXXVIII. quidam earum effectus lethales propoſiti ſunt, vid. Dn. *C. G. Stenzelii* diſſ. de cantharidibus, Wittenbergæ MDCCLX. Dn. *C. F. Jæger* diſſ. de cantharidibus earumque actione & uſu, Tubingæ MDCCLXXII. Dn. *R. Forſtenii* diſquiſitio medica hiſtoriam cantharidum naturalem, chemicam & medicam continens, Argent. MDCCLXXVI.

§. LXII.

Medici officium. Ubi, veneni doloſe vel culpoſe dati, aut temere, aut caſu aſſumti, ſuſpicio inciderit; Medicus ex ſymptomatibus præſentibus, cauſſis prægreſſis aliisque connexis, quænam veneni ſpecies culpæ proxima ſit, quantum fieri poteſt, ſollicite inquirat eique antidota convenientiſſima in tempore opponat.

§. LXIII.

Judicis officium. Morte, ſani maxime hominis, poſt vehementia ſymptomata, ſubito accidente, & veneni culpoſe vel doloſe dati ſuſpicionem faciente, ut, feſtinata ſepultura prohibita, corporis mortui ſectione legali tempeſtive inſtituenda, in morbi ac mortis cauſſam inquirat, atque dedecta culpoſa vel doloſa hominis intoxicatione in reum debite animadvertat, judicis officium eſt. Lege *Cornelia* Inſtit. juris l. IV. tit. XVIII. præceptum eſt, ut venefici, & qui mala medicamenta publice vendiderint, capite damnentur. Qui venenum, necandi hominis cauſſa, fecerit, vendiderit, vel habuerit, plectitur. *Digeſt.* l. XLVIII. tit. VIII. §. III.

****

CAP. VI.

De philtris.

§. I.

Amorem concilian-tia. Venuſtas, juventus, familiaritas, virtus atque officioſa urbanitas in utroque ſexu amoris conciliatrices ſunt, & amorem amore conciliari, cæteris paribus, veriſſimum eſt. Præter ea diætam lautam, vinum generoſum atque otium venerem excitare, at ſine venere ac baccho illam frigere, veteribus, non ſine cauſſa, creditum eſt. Hæc philtra phyſica atque moralia eſſe, tantum abeſt, ut dubio ſubjaceat, ut potius quotidiana confirmetur experientia.

§. II.

§. II.

Venerem ſtimulantia. Nec deſunt varia aphrodiſiaca atque diuretica venerem excitantia, v. c. radices diureticæ petroſelini, apii, aſparagi, balſama naturalia, tincturæ alcalicæ, ſtinci marini ſale conditi; quorum moderatus uſus quidem non adeo damnoſus, minime tamen ſuadendus eſt.

§. III.

Philtra. Dari autem remedia amorem determinatum erga perſonam quandam excitantia, philtrorum nomine vulgo venientia, neque certis experimentis demonſtratum, neque veroſimile eſt. *Jo. Frid. Cartheuſer* in diſſ. de venenis, ſect. IV. §. I. p. LXI. autumantibus, inquit, philtris amorem determinatum conciliari poſſe, aſſenſum largiri nequeo.

§. IV.

Phantasmata. Melancholicorum atque maniacorum, ſeſe philtris intoxicatos eſſe, contendentium opiniones atque aſſerta nil, niſi corruptæ phantaſiæ ludibria, ſunt. Ex vehemente amore, inprimis fruſtrato, homines morbidos atque maniacos fieri, ex arcta mentis corporisque connexione mutuisque in ſe invicem nocivis actionibus concipi poteſt, multisque exemplis tragicis confirmatum eſt, vid. *El. Henr. Henckelii* tr. de philtris eorumque efficacia & remediis, Francofurti MDCXC.

§. V.

Pharmaca noxia. Pharmacis noxiis, v. c. cantharidibus aliisque nocivis, philtrorum loco, male feriatos homines abuti posse, concedimus, & tunc pharmaco damnoso malisque ejus effectibus ab artis perito detectis, dolus, pro damno dato, puniendus est. Modo laudatus Dn. *Jo. Fried. Cartheuser* l. c. philtra, inquit, stricte sic dicta toxica sunt, sanitatem graviter turbant, atque amoris loco, insanum œstrum venereum, quin sæpius mortem, producunt. Conf. *Christ. Godofr. Stenzelii* diss. de philtris rite examinandis ac dijudicandis, Wittenb. MDCCXXVI.

Cap. VII.

De suffocatis.

§. I.

Suffocatio. Quidquid respirationis actum in natis atque aëre communi fruentibus animalibus tollit, circulum sanguinis minorem, inter cor atque pulmones contingentem, simul tollit, sanguini a capite ad cor redituro impedimenta ponit, atque hac ratione efficit, ut animalia sic affecta apoplectica pereant. Hoc vel a morbo, v. c. cynanche, peripnevmonia, catarrho suffocativo, vel casu, e. g. a corpore solido peregrino in laryngem illapso, a vaporibus sulphureis, salinis, stypticis, musti fermentantis, prunarum, calcis, in loco clauso, aërem elasti-

elasticitate privantibus, aëris defectu, v. c. sub antlia pnevmatica exhausta, in aqua vel alio fluido aëre crassiore, vel dolo malo, aëris itinera variis modis comprimendo, constringendo vel obturando, effici potest. Omnia autem hæc in obviis casibus forensibus rite investiganda, inter se distinguenda, atque ex caussis atque symptomatibus suis determinanda sunt.

§ II.

Suffocatorum signa commun.

In suffocatis facies rubet ac tumet, externæ corporis partes, apoplecticorum instar, hinc inde livent, pulmones cum vasis suis, maxime venosis, turgent ac livent, in aspera arteria atque bronchiis serum spumosum deprehenditur, dexter cordis ventriculus cum auricula sua sanguine turget, & hic etiam in variarum corporis partium, v. c. piæ meningis, tunicæ oculorum albugineæ venis & jugularibus stagnat illasque extendit. Ex facie rutila, vasis piæ meningis & albugineæ oculorum tunicæ præter naturam, & potissimum pulmonibus lividis ac cruore repletis, spumaque in trachea reperta, recens natum suffocatione periisse, Dn. *D. Trew* conclusit, vid. commerc. liter. Norimb. MDCCXXXV. p. X.

§. III.

Varii suffocationis modi.

Respiratio variis modis dolose intercipi solet, v. c. I. violenta corporis solidi, v. c. terræ, panniculi &c. in fauces intrusione, illarumque obturatione; qua ratione recens nati subinde

interimi solent. II. Diuturniore narium atque oris compressione, manu, vestimentis, culcitris facta. *Tiberium Neronem*, senio morboque confectum, pulvino injecto necatum esse, nonnulli tradiderunt, vid. *Caji Suetonii* vita Tiberii, c. LXXIII. III. Submersione in aqua vel alio fluido aëre densiore. IV. Laqueo collum constringente, quo partim respiratio, partim sanguinis a capite regressus, impediuntur.

§. IV.

In aqua suffocatorum signa. In submersis, præter communia suffocatorum signa, spuma os atque fauces occupans, diaphragma depressum, pulmones turgidi, abdomen tumidum & digitorum apices a validis eluctandi nisibus quandoque lacerati, inveniuntur; quod ultimum tamen signum in recens natos, melancholicos, ebrios atque epilepticos submersos non cadit. Ob denegatum aëris in organa respiratoria accessum, non autem ab hausta aqua, submersi suffocari videntur; nec spuma in viis pulmonum aëreis atque trachea inventa aquæ haustæ, sed eam potius arteriolis atque glandulis serosis adscribendam esse credo, in submersis etiam glottis epiglottide arcte clausa sæpius deprehenditur. B. m. Dn. *Jo. Bohnius* plures infanticidas culei supplicio necatas secans, nihil, aut parum aquæ in illarum pulmonibus atque abdomine deprehendit, vid. *ejus* tr. de renunciat. vuln. pag. CXCIV. Quin & in submersorum ventriculo nonnisi pauca aqua, sub respirationis conaminibus forte deglutita, reperitur; quod etiam academia regia scient. Parisiensis diserte agno-

agnovit, atque in monito illo de ope submersis ferenda, MDCCXL. publicato proposuit. In illos, qui jam mortui in aquam projecti sunt, signa modo enumerata non quadrant.

Schol. Non tamen desunt observationes, inprimis cum animalibus junioribus in aqua suffocatis captæ, quæ glottidem apertam & aquam in pulmonibus & ventriculo inventam esse, ostenderunt. Brevior vel diuturnior submersorum in aqua detentio ad observationum diversitatem symbolam suam conferre videtur; in mortuorum enim pulmones atque ventriculum aqua penetrare potest.

§. V.

Autores. De morte & signis in aqua submersorum sequentes autores evolvi possunt: *Jo. Conr. Becker.* tr. de submersorum morte, sine aqua pota, Jenæ MDCCXX. *Jac. Smith.* diss. de submersorum morte, Pragæ MDCCXXVII. *Chr. Wilh. Carisii* diss. de morte submersorum in aqua, Regiomont. MDCCXXXV. B. m. Dn. *Jo. Godofr. Brendelii* diss. sistens experimenta circa submersos in animalibus instituta, Gœttingæ MDCCLIII. Dn. *Champeaux* und Dn. *Faissole* Erfahrungen und Wahrnehmungen über die Ursache des Todes der Ertrunkenen. Dn. *Mich. Christoph. Hanovii* Seltenheiten der Natur rc. aus den Danziger Erfahrungen und Wahrnehmungen von Joh. Dan. Titius ausgezogen, Leipzig 1753. Dn. *Jo. B. Morgagni* epist. anat. XIX. art. XLI. - XLIV. & epist. LXIV. art. IV.

§. VI.

Suspensorum signa. In laqueo strangulatis hujus vestigia in collo, non continua quidem, sed interrupta, atque hinc inde suggillata, conspiciuntur. Facies tumet ac livet, oculi tumidi sunt ac rubent. Capitis & piæ meningis venæ turgent, pulmones valde distenti eorumque venæ, etiam minimæ, multo sanguine nigro infarctæ sunt. Serum spumeum in ore, arteria aspera atque bronchiis deprehenditur, lingua admorsa esse, atque involuntaria lotii & fecum alvinarum excretio ipsis accidere solent. Omnia hæc signa in vetula a latronibus noctu, in lecto suo, laqueo suffocata vidi. *Bohnius* de offic. med. forens. cap. IV. p. DCXVII. in suspensis funis vestigia, livor ac tumor faciei, oculorum prominentia, & spuma ex ore naribusque prodiens, & asperam arteriam hujusque ramos replens, observantur, vid. Dn. *Jo. Georg. Ræderer* progr. quo observationum de suffocatis saturam exhibet, Goettingæ MDCLV. Dn. *Ant. de Haen* Abhandlung über die Art des Todes der Ertrunkenen, Erhenkten und Erstickten, Leipzig 1772.



Cap. VIII.

De vulnerum lethalitate generatim agens.

§. I.

Medici officium. Medicus forensis facti certitudinem ex rationibus physico-medicis definiturus ipsam læsionem, ejus conne-

connexa atque consectaria cum caussa prægressa comparet, & quomodo ab hac sola, vel aliis concurrentibus, variæ corporis actiones perturbatæ, vel sublatæ sint, aut mors secuta fuerit, dijudicet atque in foro pronunicet, vid. *Ambr. Paræi* tr. de renunciationibus, in ejus operibus Paris. MDLXXXII. editis obvius. *Jo. Dan. Majoris* diss. de recte ferendis vulnerum indiciis, Kiloniæ MDCLXXXV. *Jo. Bohnii* tr. de renunciatione vulnerum, Lips. MDCLXXXIX, *Ejusd.* tr. de officio Medici duplici, Lips. MDCCIV. *Ejusd.* tr. de renunciatione vulnerum & de partu enecato, ib. MDCCXI. *Petr. Gerike* diss. de vulnerum renunciatione, Rintel. MDCCI.

§. II.

Varia læsionum conditio.

Læsio vel ita comparata est, ut plenariam curationem admittat, nullaque mala consectaria in corpore relinquat, & tunc illa sanabilis ejusque curatio perfecta dicitur. Ubi vero, subsistente vita, quædam actiones a caussa lædente, adhibitis auxiliis appropriatis non obstantibus, imminutæ vel sublatæ fuerunt, damnum minus vel majus irreparabile datum, sanitas plus minusve labefactata atque curatio imperfecta est. Si non ex læsione, scilicet per se curabili, sed potius ex culposo auxiliorum neglectu, admissis erroribus, aliisve connexis, mors sequitur, adeoque hæc non cum læsione, sed cum aliis caussis accidentalibus connexionem caussalem habeat; læsio per accidens lethalis dicitur. Ubi vero læsio ita comparata est, ut nullam medelam admittat, sed mors ex illa sola, breviore vel longiore

giore temporis intervallo oriatur, & perpetua connexio inter caussam, symptomata & mortem appareat; tunc læsio absolute lethalis est. A vulneratæ partis natura, nec unquam aliunde, vulnerum differentias Hippocrates desumsit, vid. *Melch. Sebizii* examen vulnerum singularum corporis humani partium, prout lethalia, sanabilia vel incurabilia sunt, Argentorat. MDCLXXXIII.

§. III.

Dies critici. In dijudicandis læsionibus absolute lethalibus dies critici, uti in febribus acutis, nec locum habent, nec attendendi sunt. *Jo. Bohnius* de vulnerum renunciatione, p. LXIV. nulla, inquit, apparet ratio, cur vulnus tardius interficiens minus per se enecet; modo vulneris conditio eventui sit adæquata, id est, tale hoc extiterit, cui nihil medelæ manus medica adferre potuerit, actio nihilominus hinc læsa œconomiam vitalem enormiter, quamvis lento motu, evertat. *Idem autor* l. c. p. LVII. ait: ubi symptomata a vulneris conditione orta a principio ad mortem usque perseveraverunt, vel post aliquam remissionem recidiva sint, ejus lethalitas cognoscitur. De tardius post læsionem morientibus in *Nemesi Carolina* art. CXLVIII. ita constitutum est: So einer geschlagen wird, und über etliche Zeit darnach stürbe, also daß zweifelhafft wäre, ob er der geklagten Streiche halben gestorben wäre, oder nicht? In solchen Fällen mögen beyde Theile zur Sache dienstliche Kundschafft stellen, und sollen doch, sonderlich

lich die Wundärzte, der Sach verständige und andere Personen, die da wissen, wie sich der Gestorbene nach dem Schlagen und Rumor gehalten habe, zu Zeugen gebraucht werden; mit Anzeigung, wie lange der Gestorbene, nach den Streichen, gelebt habe. Ex quibus satis apparet, mortem etiam tardius accidentem aggressorem haud excusare, sed caussam coram judice ventilandam esse, vid. *Geor. Wolfg. Wedel.* diss. de efficacia dierum criticorum in vulnerum lethalitate, Jenæ MDCCXII. *Jo. Eisenhard.* diss. de die vulnerum ac percussionum lethalium critico, Helmst. MDCLXXIX.

§. IV.

Ante aliquot annos sequens casus ordini nostro propositus fuit: viri cujusdam antea recte valentis caput a duobus aggressoribus ita fustibus contusum fuit, ut in terram sine sensu procideret. Paulo post, iterum ad se rediens, domum ducebatur, vertigine laborabat & febre. Licet Medicus atque Chirurgus quasvis artis regulas applicassent; attamen a læsione morbus continuabat, atque ægrotus, mutato illius schemate, in febrem habitualem & corporis contabescentiam incidens, anno post fatis functus est. In basi cranii insignis contrafissura atque ulcus reperta sunt, & læsio pro absolute lethali recte declarata fuit. *Casus.*

§. V.

Læsiones, a quibus omni arte elusa, actiones vitales, nimirum spiri- *Læsiones absolute le-*

thales. spirituum animalium per encephalum & nervos, sanguinis per vasorum systema circuitus, & respiratio, immediate vel mediate tolluntur, absolute lethales sunt. *Jo. Bohnius* de vulnerum inspectione p. XIX. vulnerum, inquit, lethalitatem non ex eventu deplorando tantum prudentiores concludunt; sed quod, ut tale, mortis insequentis caussa extiterit, & quia, ut non sanabile, mortem intulerit, vid. *Godofr. Welschii* rationale vulnerum lethalium judicium. Lips. MDCLX. *Henr. Maibomii* diss. de vulnerum lethalitate, Helmst. MDCLXXIV. *Geor. Wolfg. Wedelii* diss. de fundamentis lethalitatis vulnerum, Jenæ MDCXCV. *Petri Ammanni* praxis vulnerum lethalium, Lips. MDCCI. *Ern. Stahl.* diss. de vulnerum lethalitate, Halæ Magd. MDCCIII. Joh. Christ Bautzmanns Unterricht von tödtlichen Wunden, Leipzig 1707. Worts Unterricht von tödlichen Wunden, Dreßden 1716. *Bernh. Suevi* tr. de inspectione vulnerum lethalium atque insanabilium præcipuarum corporis humani partium, Marb. MDCCXXIX. *Jo. Henr. Respinger.* diss. de vulnerum lethalitate, Basil. MDCCXXXIII. *Frid. Aug. Hommel.* diss. de lethalitate vulnerum & cadaveris inspectione, post hominem occisum, Lips. MDCCXLIX. *Jo. Torkos* diss. de renunciatione vulnerum lethalium, Gœttingæ MDCCLVI. Christ. Gottl. Büttners Anweisung vor angehende Artzeneybeflissene über tödliche Verletzungen, Königsberg 1768. recusa ibid. 1776.

§. VI.

Enceph. me- Profundiores cerebri ac cerebel-

rebelli læsiones ac destructiones, atque ex hac caussa factæ *dul. spin. & nerv. læsiones.* in cerebri corpore calloso, ventriculis vel cavis præternaturalibus ortis, aut in calvariæ basi sanguinis vel seri effusiones, mortem vel subito vel successive arcessunt nullamque medelam admittunt; adeoque absolute lethales sunt. In hunc censum medullæ spinalis atque nervorum principalium in corpore distributorum plexuumque nervosorum lonticæ læsiones ac destructiones veniunt; quia non solum progressivum ad partes nobiliores, vitam sustinentes vel proxime juvantes, spirituum animalium motum tollunt, sed etiam periculosissimis inflammationibus occasionem præbent.

§. VII.

Autorum testimonia.

Hippocrates Coac. prænot. sect. II. n. DIX. si cerebrum alicui vulneratum fuit, aut spinalis medulla, mors ex vulnere contingit. Intereunt etiam, quibus nervi interiores vulnus acceperint. *A.C. Celsus* de medicina, l. V. cap. XXVI. cui basis cerebri vel medulla spinalis percussa est, servari nequit. Medulla, quæ in spina est discissa, nervi resolvuntur, aut distenduntur, sensus intercidit, interposito tempore aliquo, sine voluntate inferiores partes urinam vel etiam stercus excernunt. *Fortunatus Fidelis* de Medicorum relationibus, c. IV. p. m. DXLIII. Cerebrum, inquit, si vulnus accipiat, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, fereque bilis vomitus insequitur, quorundam sensus obtunduntur, aut torvus vultus fit, aut oculi quasi resoluti huc atque illuc moven-

moventur, fereque tertio aut quinto die delirium accedit, multorum etiam nervi distenduntur. Percusso autem cerebro, ægri concidunt, vox nihil sonat, facies pervertitur, & bilis vomitus accidit. *Joan. Bohnius* de vulnerum renunciatione, pag. XXIX. violentiæ, inquit, cerebro & nervoso generi, omnibus partibus vim moventem suggerentibus, ita illatæ, ut cordi potentia motiva subtrahatur & pulsus tollatur, absolute mortiferæ sunt. *Idem autor* l. c. p. LXIX. illorum, asserit, nervorum vulnera per se mortifera existunt, quorum profunde sitorum puncturis, in convulsiones universales conjicientibus, vel aliis læsionibus enormibus, quibus organa vitalia activitate sua defraudantur, conveniens medela adhiberi non potuit.

§. VIII.

Viscerum & vasorum. Cordis, viscerum, atque vasorum majorum profundæ læsiones, ex quibus incoërcibile sanguinis profluvium accidit, læsionibus absolute lethalibus merito etiam accensentur. Quin & vehementes viscerum contusiones, ecchymoses irresolubiles, magnæ inflammationes atque rupturæ, læsioni externæ debitæ, in eundem censum veniunt. Cum internarum partium læsiones ab earum situ, excretis, dolorum proprietate, actione læsa, propriisque symptomatibus generatim deducendæ sint; fonticas viscerum vasorumque læsiones ex magna hæmorrhagia, summo actionum vitalium languore illico succedente, pulsu parvo & inæquali, celerrima cordis palpitatione, corporis prostratione, convulsione, pallore atque frigido sudo-

ſudore, cognoſcimus. Ubi non continuo filo, ſed ſubſultim ſanguis copioſus ex vulnere profluit; tunc arteriam inciſam eſſe, intelligimus.

Obſ. Vaſa ejus, qui vivus ſauciatus fuit, floccida atque inania, ſed poſt obitum vulnerati ſanguine turgida cernuntur.

§. IX.

Autorum teſtimonia. *Hippocrates* ſect. VI. aph. XVIII. cui, inquit, perſectum eſt cor, hepar &c. id lethale eſt. *Coac. prænot.* ſect. II. n. CCCXXVIII. qui ex vulnere, ſubinde rigentes, ſanguinem profundunt, ii peſſime ſe habent, & inter loquendum derepente moriuntur. *Ibidem* n. DIX. ſi cui quædam grandis vena, aut cor, aut jecur, aut pulmo &c. percuſſa fuerint; ex vulnere mors contingit. Teſte *A. C. Celſo* de medicina, l. V. c. XXVI. cui cor, aut jecinoris portæ, aut pulmo medius, aut renes, aut grandes venæ circa fauces percuſſa ſunt, ſervari non poteſt. *Fortunatus Fidelis* l. c. c. IV. pag. DXLIII. corde, inquit, percuſſo, ſanguis multus effertur, arteriæ langueſcunt, color eſt pallidiſſimus, ſudores frigidi & mali odoris, ac, extremis partibus frigidis, matura mors ſequitur; p. DXLV. ſi venæ, aut arteriæ, quæ in imo ſunt corpore, vulnus accipiant; illæ ingentem nigri ſanguinis copiam fundunt, pallent ægrotantes, ac promptiſſimus eſt interitus. Hæ autem tenuem, flavum & ſpumantem ſanguinem effundunt, arteriæ ſtatim immutantur, & mors non multo poſt ſequitur. *Jo. Bohnius* de vulnerum renunciatione, p. XXVIII. vulnera, inquit, quæ viſcera ac vaſa lædendo, ſangui-

nis vel lymphæ circulum tollunt, omnium brevissime ac certissime necant.

§. X.

Casus. Juvenis, cui gladio in poplitem dextrum adacto & sursum directo arteria cruralis, in femoris principio, incisa fuit, auxiliis irritis, atque arteriæ ligatione membrique detruncatione impossibilibus suborto totius extremitatis inferioris dextræ anevrismate spurio atque sphacelo, intra quatriduum decessit. Conf. *Fr. Henr. Werckmeister* diss. de absoluta vulneris arteriæ magnæ lethalitate, Halæ Magd. MDCXCIV.

§. XI.

Plurium vasorum minorum. Ex plurium vasorum minorum læsionibus, nisi auxilium in tempore adferri possit, in hæmorrhagiam lethalem vulneratus incidere potest. *Io. Bohnius* de offic. med. forens. p. DLXXXIII. plurium, inquit, vasorum minorum læsio hæmorrhagiam lethalem, notabilemque cruoris in cavitate congestionem producere potest. *Idem* de vulner. inspect. p. XII. nulla diversarum læsionum inferendæ mortalitati sufficiente, num earum binæ vel trinæ idem præstent, Medicus eruat. B. m. Dn. *Zach. Platner* instit. chir. ration. §. CCCLXVIII. homo, inquit, si ei plures plagæ, quæ singulæ facile sanari potuissent, inflictæ sunt; earum numero conficitur, atque e medio tollitur.

§. XII.

Casus. Mulieri a duobus latronibus plura vulnera cultris, in capite, fronte, facie

cie atque brachiis inflicta erant. Hæc paulo post in sylva inventa, in pagum vicinum vecta atque curæ meæ eredita, tantam hæmorrhagiam perpessa erat, ut arteriarum pulsus vix sentiri posset, illa integrum triduum anæsthesia laboraret, & nonnisi sollicita longaque curatione sanaretur. Hæc si diutius, sine vulnerum deligatione aliaque recta tractatione, jacuisset, ex vulneribus pluribus non absolute lethalibus sine dubio interiisset.

§. XIII.

Vasorum lymph. & chylifer.

Vasorum lymphaticorum majorum, ad quæ accessus non datur, vasorum chyliferorum, receptaculi lumbaris atque ductus thoracici læsiones, ob lymphæ atque chyli effusionem lethales sunt. *Jo. Bohnius* de renunciatione vulnerum, p. XXVIII. quædam, inquit, vulnera mediate ac lente magis perimunt, v. c. organorum chyli productioni, exaltationi ac dispensationi ministrantium.

§. XIV.

Humorum in cavitat. effusio.

Humorum circuitum continuitas quorumvis organorum soluta incorrigibilis etiam lædit; hujus enim culpa tam fluida laudabilia, quam excrementia, v. c. bilis, chylus, sanguis, lympha, lotium, feces alvinæ, extra canales & receptacula sua in hoc vel illud cavum, sibi haud competens, elabuntur, ibique coacervata, mole, acrimonia, atque putredine vitalem sanguinis circuitum impediunt mortemque arcessunt, vid. *Jo. Bohnius* l. c. p. XXIV.

§. XV.

Contusiones vehementiores.

Vehementiores plurium partium in primis nervosarum contusiones, indeque exortæ circuli humorum turbationes, graviores inflammationes, altius sæpius penetrantes, instrumentis obtusis, gravibus ac duris, vi adactis, calcitrationibus &c. excitatæ absolutam lethalitatem, ex casu individuali dijudicandam, quandoque inferunt. *Jo. Bohnius* l. c. p. XXI. plurium, inquit, membrorum contusiones, lacerationes & vulnera multos dolores, inflammationes ac spasmos producunt; adeoque sanguinis & spirituum motum hinc inde enormius turbant. Quin severiores fustigationes & flagellationes, instrumentis durioribus factæ, interficere, experientia constat. *Idem autor* l. c. pag. CLXVII. Læsiones, quæ fustibus, calcitrationibus, vel quibusvis instrumentorum duriorum ictibus inferuntur; quibus carnium compages contunditur, vascula rumpuntur humoresque effunduntur, quarumque contusionum impetus non raro ad interiora se extendit, inopinam mortem aliquando arcessunt. Casum de pluribus plagis externo corpori illatis absolute lethalibus, vid. in *Mich. Alberti* jurisprud. medica part. poster. append. cas. XXVII. p. CLXI.

§. XVI.

Vulnera a machinis pyriis.

Vulnera a machinis pyriis producta, cum insigni partium dilaceratione, magna humorum stasi, inflammatione ac livore conjuncta cito in gangrænam atque sphacelum transire,

certam-

certamque mortem adferre ſolent. *Jo. Bohnius* l. c. p. XXXIX. vulnera, ait, ſclopetorum globulis illata, ratione contuſionis ac lacerationis enormioris atque inflammationis ad necroſin diſponentis, ſimplicioribus puncturis & inciſionibus, ſemper graviora atque periculoſiora ſunt, vid. *Botalli* tr. de ſclopetorum vulneribus. *Fabr. Hildani* tr. de ſclopetorum vulneribus. *Franc. Plazzoni* tr. de ſclopetorum vulneribus, Patavię MDCXLIII. *Jo. Nic. Pechlini* tr. de vulneribus ſclopetorum in genere, Kiloniæ MDCLXXIV. *Rud. Wilh. Crauſe* de ſclopetorum vulneribus, Jen. MDXCV. *A. Rapſii* diſſ. de vulneribus ſclopetorum, Lugd. Bat. MDCCIV. *Ab. Vater* diſſ. de vulnere ſclopetario die ſeptimo demum lethali, Wittenb. MCCXXII. *Laur. Heiſteri* diſſ. de machinarum ignivomarum vulneribus, Helmſt. MDCCXLIV.

Schol. Globulis ex machina pyria interfectum, ſe ipſum improvide necaſſe, interdum temere contenditur; ſed hoc ex globulorum divaricatione aliisque connexis facile redarguitur.

§. XVII.

Vulnera venenata.

Vulnera armis venenatis inflicta atrocibus citoque lethalibus ſymptomatibus ſtipata ſunt, ſanguini enim venenum immediate communicatum per totum corpus cito diffunditur, vulnus livet atque in gangrænam ruit, cor palpitat, corpus convellitur ac friget, læſus delirat, in animi deliquium incidit, &, ni cita medela adferri poſſit, fatis cedit. *Paul. Zacchias* in quæſt. medico-legalibus, Romæ MDCXX. Francof. MDCLXXI. & MDCLXXXVIII. Venetiis MDCCXXXVII. editis, quæſt.

II. & VI. arma, inquit, venenata præsumtionem lethalitatis adeo urgentem constituunt, quæ ex se sola evidentissimam facere possit conjecturam, quod vulneratus ex vulnere mortuus sit, cæteris omnibus conjecturis & præsumtionibus, ipsius quoque partis natura, quæ urgentissima est, in contrarium facientibus.

§. XVIII.

Respirationis sublatio. Omnes læsiones respirationem adeoque per consequens sanguinis circulum tollentes, v. c. insignes pulmonum, diaphragmatis atque thoracis læsiones ac destructiones, aliæque suffocationis caussæ, mortem absolutam inferunt. *Jo. Bohnius* de renunciatione vuln. pag. XXVIII. cunctæ, inquit, violentiæ externæ, quæ organa respiratoria horumque functionem enormiter lædunt, v. c. vulnera & percussiones diaphragmatis ac pulmonum, asperæ arteriæ obturationes, constrictiones ac læsiones quævis inemendabiles, absolute lethiferæ appellandæ sunt.

§. XIX.

Vulnerati derelictio. Si graviter vulneratus a doloso aggressore in loco solo relinquitur, nec ejus vires ad loci mutationem vel ad auxilium aliorum implorandum sufficiunt, adeoque a læsione, v. c. capitis contusione, hæmorrhagia &c. læsus moritur; licet vulnera, auxilio in tempore allato, absolute lethalia haud fuissent; hoc aggressorem minime excusat; sed potius dolosi homicidii reum facit.

§. XX.

§. XX.

Vulnus per se lethale.

Novam vulnerum per se, vel ut plurimum lethalium, firmo talo haud nixam, nec in foro valentem, nonnulli jam enumeratis addunt. Rariores, nimirum ajunt, subinde casus occurrere, in quibus vulnera, ceteroquin absolute lethalia, sanationem, præter expectationem, admiserint. Sed in casibus forensibus eruendis pronunciandisque ab uno, rarissime, naturae vel connexorum beneficio, accidente, ad alterum, vel plures, concludere minime licet; sed quid in casu dato arti possibile fuerit, nec ne, & a quibus caussis mors jam consecuta pendeat? ex ipsa læsionis atque connexorum conditione ostendendum est, vid. b. m. Dn. *van Swieten* in comment. ad aphor. Boerhaavii pr. I. p. CCXXV. *Rud. Wilh. Crause* diss. de vulneribus per se lethalibus, Jen. MDCLXXXIV. *Jo. Frid. de Pre* diss. de vulneribus lethalibus per se & per accidens, Erford. MDCCXXVI. *Christ. Ehrenfr. Eschenbachii* comment. qua vulnerum ut plurimum lethalium nullitatem demonstrat, Rostoch. MDCCXLVIII. *Jo. Wilh. Werneri* diss. qua; medicinam forensem, præter differentiam vulnera in absolute & per accidens lethalia distinguentem, nullam prorsus agnoscere, ostenditur, Regiom. MDCCL. Dn. *Ern. Bose* diss. de vulnere per se lethali, Lipf.

Schol. Respectu vulnerum per se lethalium ab observatoribus haud satis oculatis casus quandoque non satis investigatos, adeoque vitia subreptionis admissa esse, mihi verosimile fit,

v. c. de carotide vel arteria crurali incisis solaque ligatura curatis, exempla proponunt.

§. XXI.

Testimonium.

Dn. *Jo. Bohnius* de vulnerum renunciatione, p. XXI. distinctio, inquit, vulnerum per se seu ut plurimum, atque absolute lethalium in foro non admittitur; nam a Medico, non quid sub aliis connexis quandoque contingat, sed quomodo datus casus se habeat, eruendum, atque in foro pronunciandum est. Potest aliquando plaga in se ut plurimum lethalis existere, ac vulneratus nihilominus convalescere; quem ad modum alii morbi, tametsi sua natura ut plurimum lethales sint, interdum & a quibusdam superantur; ita possibile est, ut lethaliter vulneratus per singularem corporis texturam & naturæ robur sanetur; alius ex constitutione contraria diem supremum obeat. *Idem autor* l. c. p. CXXI. ait: naturæ opera, quorum successus incerti, judicio super lethalitatem enunciando normam suppeditare non possunt; cum non de hujus, sed de artis potentia, ubi de lethalitate deponendum, quæstio est.

§. XXII.

Vulnus per accidens lethale.

Si non ex ipsis laesionibus, sed ex connexis antecedentibus, concomitantibus & subsequentibus, v. c. morboso corporis statu jam antea præsente, neglecta curatione, erronea atque damnosa tractatione, malo noxioque vulnerati regimine, lethalis exitus accidit, illas non nisi per acci-

accidens lethales fuisse, statuimus: Ergo, ut in quovis casu non solum ad ipsas læsiones earumque effectus, verum etiam ad quævis connexa eorumque sequelas, Medicus forensis animum attentum afferat, omniaque hæc rite eruat atque in foro pronunciet, necesse est, vid. *Burch. Dav. Mauchardi* diss. de lethalitate per accidens, Tubingæ MDCCL. *Phil. Conr. Fabricii* progr. quo caussas infrequentiæ vulnerum lethalium, præ minus lethiferis, ex anatomica corporis humani fabrica partiumque situ, eruit, Helmst. MDCCLIII.

§. XXIII.

Testimonia. Teste Dn. *Jo. Bohnio* l. c. p. XX. nus per accidens lethale dicitur, ex quo, ut tali, seu immediate, nullus vulneratorum perit; sed percussi modo convalescunt, modo fatis cedunt; pro diversa nempe medentis industria ac peritia, ægri probo pravoque regimine, similibusque connexis, ut caussis intermediis, ex vulnere non mortali aliquando lethale facientibus. B. m. Dn. *Jo. Zach. Platner* in chir. rat. §. CCCLXVI. inquit: si adversus vulnus, ceteroquin non lethiferum, nulla, nimis sera, invalida, vel prorsus aliena auxilia adhibita fuerunt: si etiam ipse æger non obsequens fuit, & se haud continuit, nec appetitiones animique commotiones rexit, neque fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem vitavit: si corpus jam alio morbo infirmum est; leviore noxa illud aliquando opprimitur.

§. XXIV.

Morbus praecedens. Ubi læsionem levem minimeque lethalem, ex solo morboso corporis statu mors consecuta fuerit, v. c. si ex solius cutis vulneratione, hyprope atque febre habituali determinatis laborans gangræna atque sphacelo corripitur atque e vivis tollitur; tunc lethalis exitus non ex læsione, sed ex morbo deducendus est. Dn. *Jo. Bohnius* l. c. p. XLIX. si vulnus, inquit, ratione levitatis tantis symptomatibus inferendis proportionatum haud fuerit, vel illa minime a vulnere; sed a corporis procatarxi emergere, alias evidens sit, v. c. si vulneri cruris parvo, in cachetico, gangræna supervenit; hoc lethale dicendum non est. Conf. b. m. Dn. *Jo. Ern. Hebenstreit* diss. de læsionibus ex morbosa vulnerati dispositione lethiferis, Lips. MDCCLV.

§. XXV.

Non excusans. Ubi autem læsio absolute lethalis fuerit; morbosus læsi status aggressori minime patrocinatur; nam ægrotum, v. c. becticum, hydropicum, phthisicum, calculo laborantem &c. occidere, idem est ac talem perimere, qui vel, pro diverso morbi statu, cum sanitate in gratiam redire, vel vitam saltim aliquamdiu protrahere, potuisset. *Jo. Bohnius* l. c. p. XLVII. si valetudinarius, inquit, vulnere absolute lethali decesserit; hoc aggressori non favet.

§. XXVI.

Læsio & Quandoque nec læsio, nec hanc secu-

secuta mors, ipsi facto, sed solis connexis externis attribuendæ sunt, & tunc neutra factum patranti attribui possunt, sed ex dictis connexis derivandæ sunt; id quod exemplo haud ita pridem accidente illustraturus sum. *mors ex connexis.*

§. XXVII.

Adultus pistoris filius, optima fama gaudens, minimeque cerebrosus, parentis jussu, secalis modium a villico quodam petiturus, sacco vacuo humeris imposito illius loci cauponam præteribat. Ibi ab æque adulto venatoris filio, homine rixoso atque ebrio, jurgiique caussam inferente, illi maledicebatur, qui vero, perditos hujus mores noscens, nullo dato responso iter suum prosecutus est. At hic, arrepto cochleari ferreo majori, quo aquam ex cupis mulieres haurire solent, illum persecutus est. Qui, hostis advenientis strepitum audiens, atque, ut ictum capiti imminentem averteret, se vertens, sacco vacuo aggressoris collum lateraliter feriit, qui temulentus, non circumspecte, sed stipitis instar, in latus oppositum, spectantibus nonnullis personis, iter illuc habentibus, cadens, caput lapidi majori anguloso, nimiam curruum ad ædes appropinquationem arcenti (Weichpfahl) adeo illisit, ut, confracto osse bregmatis dextro, cerebroque vehementer læso, magnam sanguinis copiam actutum, vitamque brevi post perderet. Hic sane non facto innocuo se modo defendentis, sed aggressoris ebrietati, atque lapsui infausto, ipsa læsio lethalisque ejus eventus plane adscribenda fuerunt. *Casus.*

§. XXVIII.

Læsi errores. In læsione accidentali demonstranda omnia aggressori favent, quæ, cum læsionis per se curabilis exasperatione, ab ægro, vel aliis, aut male commissa, aut cum periculo omissa, fuerunt, v. c. si potulentis spirituosis abusus sit, aëris injuriis corpus temere exposuerit, congruorum remediorum usum repudiaverit, vulneris fasciationem avulserit, vel, neglectis auxiliis appropriatis, aliena atque noxia adhibuerit. *Jo. Bohnius* l. c. pag. LIX. inquit: si constet, ægrum errorem enormiorem commisisse, symptomata hunc excipientia, si talia sunt, quæ ut effectus illum sequi queant; pravæ illi gubernationi verosimiliter tribuimus.

§. XXIX.

Casus. Fratrem falce minore, qua gramen mulieres demetere solent, juvenis rusticus in scapula vulnerans, illius arteriam dorsalem inferiorem disciderat. A bubulco vulneri, nescio quod, emplastrum cum superstitiosis ritibus (Büsen vulgo nominant) impositum, & sic, sine ulla depuratione, sibi relictum fuerat. Cœlo tum temporis multum calido, nonnullis diebus post, locus læsus gangræna, cito in sphacelum abeunte, correptus, & sic ex neglectu eventui lethali caussa temere posita fuit; ipsa læsione absolutam lethalitatem minime afferente.

§. XXX.

Meden- Ubi læsio per se sanabilis medentium

dentium inscitia, vel negligentia, lethalem eventum sortita est; tunc hic non aggressori, sed temere ac negligenter medicinam facientibus, adscribendus est; & tanto magis, si hi ipsi in relationibus suis ignorantiæ atque negligentiæ documenta dederint; ejusmodi exempla Medicorum ordinibus quandoque obvenire, ipsa experientia constitit.

tium errores.

§. XXXI.

Casus.

Vulnus in crure viri gladio temere factum, quo arteria tibialis anterior, ubi ligamentum osseum perforat, discissa erat, a Medico non rite inspectum, insuper postea neglectum, atque antea tamquam periculo carens in foro renunciatum erat, superveniente sphacelo, lethalem eventum brevi post se trahebat. Virgini vetulæ plura vulnera, contusiones atque duarum costarum verarum fracturas asciola factas ancilla intulerat, medentibus nonnisi de vulnerum atque contusionum, sensus scilicet incurrentium, curatione sollicitis; licet ægra sæpius de vehemente lateris dolore conquesta esset. Hæc denique in febrem habitualem incidit, & post plures menses extincta est, sectione legali errorem denique detegente. Hos officio suo satisfecisse, nemo prudens arbitrabitur.

Cap.



Cap. IX.

De capitis læsionibus.

§. I.

De iis generatim.

Tam respectu partium externarum, quam internarum, capitis contusiones, vulnera, humorum effusiones atque encephali commotiones occurrere possunt, quæ partim periculo carent, partim vero absolutam lethalitatem inferunt. Horum quidem nonnulla ita comparata sunt, ut, læsionis externæ notis carentia, in principio nonnisi symptomatibus mitioribus se prodant, temporis autem successu, pessimis compareat, atque se absolute lethalia esse, manifestent. *Fortunatus Fidelis* de Medicorum relationibus, l. IV. sect. II. cap. VI. capitis, inquit, læsiones, partis natura, errandi facilitate atque curandi difficultate, deteriores sunt.

§. II.

Medici offic.

In illorum igitur investigatione, renunciatione atque tractatione Medici forenses quam accuratissimi sint, & morbi decursum eo usque expectent, donec, indole ejus propius cognita, certi quid statuere possint, nec, in prospero morbi eventu promittendo, temere atque prolixe agant. Teste Dn. *Zach. Platnero* instit. chir. rat. §. DXIII. nullum vulneris genus est, in quo signa futuræ salutis

lutis ac mortis adeo incerta sunt, quam in iis, quæ caput male habent. Conf. *Jo. Petr. Passeri* tr. de caussis mortis in vulneribus capitis & recta eorum curatione, Bergom. MDXC. *Tob. Baumgærtner* diss. de vulneribus capitis, Basil. MDCLX. *Geor. Phil. Nenteri* diss. de capitis vulneribus, Argent. MDCCIX. *Alex. Culpini* meletemata de capitis læsionibus medico-chirurgica, cum adjectis observationibus, Hafniæ MDCCLXXVII. *James Hill* chirurgische Beobachtungen, welche hauptsächlich die Verletzungen des Kopfs ꝛc. betreffen. Leipz. 1777.

§. III.

Extern. capit. part.

Solæ externarum capitis partium, v. c. integumentorum communium, musculorum, galeæ aponevroticæ atque pericranii, læsiones, tumores, suggillationes, ecchymoses, vulnera, lethalia non sunt; sed potius in subjectis ceteroquin sanis, accedente recta tractatione, facilem curationem ut plurimum recipiunt. Læsiones cum particulari cranii ablatione vel corruptione conjunctæ curatu quidem difficiliores attamen sanabiles sunt; modo tempestiva corrupti ablatione atque accretionis novæ pericranii promotione, officio suo medentes satisfaciant.

§. IV.

Læsiones ominosiores.

Temporum, frontis, malarum atque maxillæ vulnera quandoque occurrunt, quæ, malis symptomatibus stipata, curatu difficillima, quin interdum letha-

lethalia, sunt. Temporum musculos male affectos febrium, soporum, amentiarum atque convulsionum caussas interdum esse, *Andreas Vesalius* testatus est; quod tamen non ipsius musculi, sed ossis teneri subjecti ipsiusque cerebri, læsionibus adscribendum esse, autumo. *Hippocrates* coac. præn. sect. II. text. CLXXXVIII. ossium, inquit, ad tempora effracturæ convulsiones accessere solent. Vulnerum, orbitis oculorum superioribus illatorum, par ratio est; hæc enim, ob nervi ciliaris, atque ipsius cerebri, nonnisi tenero osse ibi tecti, læsionem, utique ominosa sunt. Si in interioribus malarum atque maxillæ sedibus, ad quas accessus non datur, arteriæ vel nervi ita læsi sunt, ut hæmorrhagia incoërcibilis inde oriatur, vel nervorum distensio; morte ex tali caussa subsequente, ex partium læsarum conditione, atque auxilii adferendi impossibilitate, absoluta lethalitas demonstranda est.

§. V.

Casus. Exemplum viri baculo in orbita oculi sinistri superiore icti, *Frid. Ruyschius* obs. chir. anat. obs. LXIV. p. LI. retulit, cujus cerebrum satis profunde læsum erat; licet extrinsecus nonnisi leve vulnusculum parvaque ecchymosis cernerentur: indeque argumentatus est, orbitarum vulnera non flocci facienda esse; cum primis si instrumento non adeo obtuso facta fuerint, & vulneratus vertiginosus, somnolentus, nauseabundus, febricitans atque convulsus sit. Conf. *Zach. Platneri* progr. cur vulnera superciliis illata cœcitatem faciant? Lips. MDCCXLI.

quod

quod etiam ejus opusculis conjunctim editis tom. II. p. CLXVI. insertum est.

§. VI.

Cranii fracturæ & fissuræ.

Ossium cranii læsiones, v. c. si pars ejus ablata, aut confracta, atque hæc aperta est, ut fragmenta eximi possint, neutiquam lethales sunt. At ejus depressiones cum laminæ vitreæ collisione conjunctæ, vel si, lamina exteriore integra, interior confracta est, hujusque festucæ encephalum pungunt, nec non fissuræ & contrafissuræ, non quidem per se, sed quia cum cerebri irritatione, concussione, vasorum ruptura, humorum effusione, conjunctæ sunt, quandoque etiam exulcerationem in cerebro post se trahunt; nisi vitium superficiale sit, atque modiolo succurri possit absolute lethales sunt. Ex malis symptomatibus, pro læsionis conditione citius tardiusve succedentibus, periculosior ejusmodi læsionum status dijudicari potest.

§. VII.

Testimonia.

A. C. Celsus de medicina, l. VIII. c. IV. inquit: Calvaria percussa, protinus requirendum est, an bilem is vomuerit, num oculi ejus obcœcati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu jacuerit? quæ non, nisi osse effracto, eveniunt. Si vero etiam torpor accessit, si mens non constat, si nervorum resolutio vel distensio consecuta est; etiam cerebrum violatum esse, verosimile est. *Jo. Bohnius* de vulnerum renunciatione, sect. II.

c. I. p. LXXVIII. calvariæ, inquit, fractura in se mortem nunquam infert; sed propter adjuncta, sine quibus rarius contingere solet, v. c. cerebri commotionem, vasorum internorum rupturas, fragmenta meningibus & cerebro infixa, aut hujus compressionem vel lacerationem. *Idem autor* l. c. p. LXXX. si tabula, inquit, externa ictui haud cedit, interna tamen finditur; ob vasa lacerata, & sanguinis ad interiora profusionem, lethalitas plerumque sequitur.

Obs. Ex vasis in cranii diploë ruptis, temporis successu, cariem ortam, & lamina interiore exesa, materiam acrem defluentem meninges vitiasse, & denique mortem attulisse, Dn. *L. B. Morgagnus* de sedib. & causs. morb. l. IV. ep. LII. art. XXXVII. testatus est.

§. VIII.

Casus. Exemplum cranii a ligni gravioris illapsu fracti, atque in lamina interiore aliquoties fissi, suborta in cerebro suppuratione, post nonam hebdomadem demum lethalis, cl. Dn. D. *Phil. Dav. Busch*, Physicus Giessensis, in actor. societ. acad. scient. Hassiacæ tom. I. pag. CXXX. retulit.

§. IX.

Alter. Enormium fracturarum fissurarumque, cum vasorum nervorumque dilaceratione conjunctarum, per totam cranii basin a machinæ vi productarum casus ante proximos hos VI. menses mihi obtigit, cujus, ob raritatem, mentionem facere, visum est: Mulieris LII. annorum, molam, qua oleum ex seminibus extundi-

tunditur, improvide perreptantis, caput circa aurem sinistram ab ergata arreptum, atque altera aure contra trabem, machinam istam circumdantem, (zwischen der Walze und dem Geleite) ita compressum est, ut fere tota cranii basis multis modis confracta atque fissa esset. Squamosa ossis temporum sinistri pars fissura, in meatum auditorium externum penetrante, duas pollices longa, duasque lineas dehiscente, divisum erat; in cujus medio ossis pars, medium pollicem longa ac tres lineas lata, confracta erat. Ab hac fissura alia, antrorsum pergens, in os frontis usque ascendebat; a cujus fine alia per orbitam ad externam imamque ossis cribrosi partem ducebatur, & hoc simul confractum erat. Ab ima primæ fissuræ parte alia, ante os petrosum sinistrum, trans posteriorem ossis spenoidei partem, atque ante os petrosum dextrum, in os squamosum ejusdem lateris ferebatur. Utrumque os petrosum in extremitate sua externa confractum ac mobile erat. Alia fissura, sellam turcicam circumeunte, hæc tota a reliquis ossis basilaris partibus separata erat. Denique ima ossis occipitis pars, pone foramen magnum, fissura transversali ex toto divisa erat. Omnes hæ fissuræ integram lineam atque ultra patebant. Ima cerebelli vasa dilacerata, & nervi medullæ oblongatæ posteriores disrupti erant, atque notabilis cruoris quantitas in cranii basi reperiebatur, maxima autem sanguinis pars ex ore, naribus atque auribus antea effluxerat. Quanta vi machinæ agant, ex hoc casu simul patet.

§. X.

Fissuræ atque contrafissuræ cra- *Fissuræ.*

nii, ob vaſorum dilacerationem ac ſanguinis effuſionem, niſi modiolo ſuccurri atque humoribus loco peccantibus exitus dari poſſit, abſolutam mortem quoque inferunt. *Io. Bohnius* l. c. p. XXXVII. fiſſuræ, ait, calvariæ, cum vaſorum ſubtus latentium ruptura, & ſanguinis effuſi congeſtione, aut fragmentorum ſeceſſu, niſi modiolo amplientur, certiſſima mortis cauſſa exiſtunt. *Idem* l. c. p. LXXIX. ſi fiſſuræ, inquit, capillares & contrafiſſuræ detegi haud potuerunt, & æger ſubitaneæ vel lentæ morti ſuccumbat, mortisque cauſſa ſub capitis ſectione reperiatur, per ſe lethales ſunt, nec medentibus malus exitus imputari poteſt.

Obſ. Cranii ſuturas ad intercipiendum fiſſurarum curſum non facere, Dn. *Fr. Ruyſch* obſ. chir. anat. obſ. XLVII. exemplo demonſtravit.

Schol. In infantum capitibus, ob oſſium mollitiem, atque ſuturas nondum inter ſe concretas, cranii quidem depreſſiones, non autem fiſſuræ atque contrafiſſuræ, locum habent, vid. Dn. *Georg. Lud. Aleſeld.* diſſ. an contrafiſſura in cranio infantis æque, ac adulti, generari queat? Gieſſæ MDCCLXIX.

§. XI.

Teſtimonia. *Hippocrates* de capitis vuln. alia, inquit, parte os findi poteſt, quam ubi percuſſum fuit. Teſte *A. C. Celſo* l. c. l. VIII. c. IV. ſolet evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os alterâ fiderit. Conf. *Jac. Berengarii* egregius tr. de cranii fractura, Lugd. Bat. MDCLXXIX. *Conr. Vict. Schneider.* diſſ. de cranii

cranii fracturis. Wittenb. MDCLXXIII. *Henr. Maibomii* diss. de cranii læsionibus a caussa violenta externa, Helmst. MDCCLXXIV. *Ioan. Matth. Müller.* de cranii effractura, MDCCXII. *Io. Salzmann.* diss. de mira cranii fractura in homine per XL. annos superstite, Argent. MDCCXVIII. *Lud. Henr. Leon. Hilchen.* diss. de cranii vulneribus, Giess. MDCCXLVIII. Cel. Dn. *I. D. Metzger* in advers. med. §. IV. p. XXIII.

§. XII.

Casus.

In viro, post cranii fracturam, vnius integras VI. hebdomades sanationis spem præ se ferebat. Postea vero, febre symptomatica vehementissima atque sopore accedentibus æger intra XXX. horas rapiebatur. In sectione os basilare fissura, sellam equinam transeunte, divisum, & theca spinalis sero sanguinolento repleta inveniebantur, vid. Dn. *Olof Acrell* in obs. chir. Holmiæ MDCCLXXV. editis. Post lapsum graviorem vir quidam capitis dolore laborabat, atque ex illius aure saniei aliquid emanabat. Post lapsum reiteratum, magnum in aure ulcus observabatur, septimoque die ægrotus fatis cedebat. Sub sectione ossa bregmatis fracti, ac temporis, carie adesa reperiebantur, & fissura tres pollices longitudine æquans, suturamque transiens in os squamosum penetrabat, vid. Dn. *Christoph Kahl.* progr. de fractura ossis bregmatis, cum fissura per suturam in os temporum prætervecta, Lipsf. MDCCLXXVII.

§. XIII.

Meningum læsiones.

Cum dura meninx nervis careat, ac sine periculo incidi possit, ejus

læsiones ad quæ vel ipso vulnere, vel apertura, arte facta, accessus datur, minime lethales sunt, & par, sub iisdem conditionibus, læsionum piæ meningis ratio est. Sinuum duræ matris vulnera, nisi levissima sint, propter enormiores sanguinis profusiones, *Io. Bohnius* semper quidem lethalia pronunciavit, vid. l. c. p. LXXXVII. quod tamen, sub connexis modo allatis, locum non habere, arbitror. Ex sinus duræ matris sagittalis vulneratione nulla mala consectaria orta esse, cl. Dn. *D. Henr. Callisen* testatus est, vid. Societ. med. Hafniens. collect. tom. I. Hafniæ MDCCLXX. edito.

§. XIV.

Quando lethales? Ubi vero ad meningum, sinuum duræ matris vel ad utriusque vasorum vulnera nec accessus adest, nec arte parari potest; hunc, ob incoërcibilem sanguinis profusionem, pessimaque hujus consectaria, absolute lethalibus utique accensenda sunt. *Io. Bohnius* l. c. p. LXXXV. duræ & piæ, inquit, meningis vulnera inter lethalia haud referenda sunt; nisi reliquorum connexorum, v. c. vasorum rupturæ, cerebri concussionis, aut vulneris insignioris intuitu, mors aliquando superveniat. *Idem* l. c. p. LXXXVI. ait: si in parte laterali vel a fractura cranii remotiore ac profundiore, cui remedia commode administrari nequeunt, meninges laceratæ sunt; lethalitatem ut plurimum consectariam habent. Conf. Dn. *D. Io. Wilh. Christiani Baumer.* diss. de meningibus, §. XI. Giessæ MDCCLXXV.

§. XV.

Superfic. cerebri læs. Superficiales cerebri atque cerebelli læsiones, & sanguinis vel seri in

in alterutrius vel utriusque superficie effusiones, vel ipso vulnere sub oculos cadentes, vel ex signis cognoscendæ, arteque patefaciendæ; cum humores loco errantes educi, & vulnera depurari atque consolidari possint; ex læsionum lethalium numero merito eximuntur, vid. b. m. Dn. *Andr. Eliæ Büchneri* diss. de cerebri vulneribus non semper lethalibus, Halæ Magd. MDCCL. b. m. Dn. *Phil. Conr. Fabritii* progr. quo observationes anatom. exhibet, Helmstad.

§. XVI.

Cerebri commotio.

Ad periculosissimas encephali læsiones cerebri commotio & subsidentia, σεῖσις Hippocrati dicta, pertinet, quæ, cranio haud fracto, post lapsum vel graviorem capitis contusionem quandoque accidit. *Hippocrates* sect. VII. aph. LVIII. quibus, inquit, ex aliqua caussa cerebrum concussum fuit, eos statim voce privari, necesse est. Cerebri commotiones ab explosis machinarum ignivomarum globis, licet caput vix tetigerint, periculi plenissimas esse, gravia illius symptomata, v. c. sensuum abolitio, obmutescentia, vomitus, delirium, nervorumque distensiones, satis manifestant, vid. cel. Dn. *I. D. Metzger* in adversariis medicis p. XXXVI. Trajecti ad Mosam, MDCCLXXIV. editis. Conf. *Christ. Vateri* diss. de cerebri commotione, Wittenb. MDCXCIX.

§. XVII.

Testimonium.

Teste *Io. Bohnio* in tract. de renunc. vulnerum p. X. licet, post cerebri commotionem, nulla vasa rupta

humoresque effusi observentur; ex gravioribus tamen symptomatibus morteque præcipiti, tenerrimam cerebri texturam, hujusque canaliculorum mollissimorum fasciculos enormiter contractos, complicatos, aut quacunque ratione a statu & habitudine naturali dejectos esse, auguramur. Si, post graviores cranii concussiones, post modestam cranii ablationem, subsidentiæ cerebri observandæ animum satis attentum secantes semper adferrent; eam sæpius deprehendi posse, arbitror; licet *Bohnius* noster in tr. de offic. Medici forensis p. DCLXI. in contrariam sententiam abeat, ubi inquit, cerebri commotionem a graviore capitis allisione vel percussione factam esse, per rationem & experientiam frequentiorem edocemur; minime vero, aut rarissime saltim, individualiter per avtopsiam illam lethalitatis caussam demonstrare, conceditur.

§. XVIII.

Casus. In sectione juvenis malefici, qui, post capitis allisionem in murum, subito obierat, cerebri solito durioris, internam cranii cavitatem non exacte replentis, subsidentiam Dn. *Littre* observavit, vid. histoire de l'Academie Royale des Sciences 1705. p. 69. In vetula, post graviorem verticis sinistri sub lapsu allisionem, tertiam anteriorem hemisphærii sinistri partem compari suo humiliorem atque molliorem, ad basin usque, *J. B. Morgagnus* deprehendit, vid. de sedib. & causs. morb. l. I. ep. XI, art. XVI.

§. XIX.

§. XIX.

Profund. cerebri vulnera.

Vulnera cæsim vel punctim, aut globulis ex machina ignivoma projectis, facta profundiusque in medullarem encephali substantiam, ejus ventriculos, corpus callosum, fornicem, corpora striata, medullam oblongatam, nervosque cerebri penetrantia, absolute lethalia sunt; his enim nonsolum sedes encephali nobilissimæ, nervorum principia suppeditantes; sed etiam vascula minima, interiorem cerebri substantiam perreptantia, plexus choroideus, nervique graviter afficiuntur.

§. XX.

Testimonia.

A. C. Celsus de medicina, l. V. c. XXVI. si cerebrum, inquit, vulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, fereque bilis vomitus sequitur, quorundam sensus obtunduntur, appellatique ignorant, quorundam trux vultus est, quorundam oculi, quasi resoluti, huc illuc moventur, fereque tertio aut quinto die delirium accedit, multorum etiam nervi distenduntur. *Jo. Bohnius* de renunciatione vulnerum, pag. XCVI. corporis ait, callosi, fornicis, corporum striatorum, tam crurum, quam caudicis hujusque protuberantiæ, nec non cerebellum subeuntia, vulnera per se mortifera deprehenduntur. *Jo. Bapt. Morgagnus*, l. c. l. I. ep. XI. art. XII. quascunque, ait, corporum striatorum, nobilissimæ cerebri partis, maximam crurum ejus portionem, & medullæ oblongatæ principium, constituentium,

tium, læsiones funestos cerebri totiusque corporis morbos cito producere, observatum est.

§. XXI.

Humorum effusio.. Ubi profundiora encephali vasa læsa tantam sanguinis, vel seri copiam, quæ resorberi nequeat, in corpus callosum, cerebri ventriculos vel caveas præternaturaliter factas, cranii basin & thecam spinalem effuderint; absoluta lethalitas vel citius, vel tardius sequitur; ejusmodi enim humores loco errantes nulla ars educere potest. Licet ejusmodi vasorum læsiones, humorumque effusiones sub sensus non cadant; attamen ex pravis symptomatibus, citius tardiusve accedentibus, cognosci possunt, v. c. si percussus mox ab ictu prosternatur, actiones animales intercipiantur, sanguis ex ore, naribus, auribusque effluat, ægrotus vomat, & remittentibus etiam his signis, æger vertigine, capitis gravitate, atque sopore, urgeatur. *Jo. Bohnius* de vulner. renunciat. p. LXXXVIII. si vasorum, inquit, encephali, & plexus choroidei tales fuerint, per quas enormior sanguinis profusio contingat, lethales per se censentur. *Idem autor* l. c. p. II. capitis, ait, plagæ, facie sua externa sæpe levissimæ, multum periculi nihilo minus involvunt, imo, ob rupta vasa recondita, interioresque cerebri recessus laceratos, non raro interficiunt. Apud. *eundem* l. c. p. CII. sequentia legimus: Ubi, post capitis contusiones, serum ex vasis effluit, atque ad cerebri interiora, v. c. ventriculos, deponitur; vel solum, vel propter medullares illius tractus simul læsos, enecat.

§. XXII.

§. XXII.

Uno alterove vasculo minimo læso, humoreque nonnisi sensim promanante, subdolam ac periculi plenissimam indolem suam non nisi aliquot diebus, imo hebdomadibus post producunt, inopinatamque mortem post se trahunt. Teste *Jo. Bohnio* l. c. p. LXXVI. dantur etiam leviores vasorum læsiones, quæ non mox in principio, sed temporis progressu, propter effusionem cruoris minorem, gravia symptomata producunt, ac præter opinionem enecant. Dn. *Jo. Bapt. Morgagnus* de sedibus & caussis morborum per anatomen indagatis, l. IV. ep. L. art. IV. sanguis, inquit, intra calvariam effusus non continuo, sed pluribus diebus post, effusionis suæ signa dare incipit; quia tenui ex vasculo tenuissimæ guttulæ sensim destillantes, non nisi interjectis aliquot diebus, ad eam copiam, quæ manifesto lædit, atque ad eam corruptionem, quæ meninges cerebrumque vitient, & febrem, deliria, convulsiones, affectus soporosos, ac mortem post se trahant, pervenire possunt. *Sympt. sensim aucta.*

§. XXIII.

Referente *Jacobo Berengario*, Carpensi, in tr. de fractura cranii, p. VII. vir, qui plures capitis contusiones a re ponderosa, nullam autem cranii rupturam habuit, omni cura per Medicos adhibita, tandem mortuus est. Hunc ex venula rupta & sanguine effuso putrefacto periisse, ille censuit. *Jo. Bohnius* in viro post ictum mortuo, præter fracturas & fissuras cranii, diversas cerebri a fragmentis lacerdatio- *Casus.*

cerationes, item vasorum tam per ambitum hujus decurrentium, quam eidem intertextorum rupturas, illumque ramum carotidis insignem, qui intra fissuram magnam cerebri dextram recondìtur, divulsum vidit. In vetula ex simili caussa defuncta inter cutem & calvariam non nisi tantillum sanguinis effusi, tamquam aliquod violentiæ perpessæ vestigium, at inter utramque meningem, intra cerebrum ac cerebellum & sub utriùs basi multum cruoris deprehendit, qui ex ramo carotidis sinistræ ad vertebralem sub cerebro deflectentis effluxerat. In juvencula post lapsum quarto die mortua idem nullam violentiam externam, sed carotidis ramum sinistrum anteriorem ruptum observavit, ex qua sanguis copiosus promanaverat.

§. XXIV.

Alius. Anni proxime elapsi mense octobri sequens tristis casus in praxi forensi sese mihi obtulit: Puerulus debilis VII. annum agens pugno viri robusti in vertice percussus dicebatur, & statim ægrotare incipiens, de capitis atque ventriculi dolore querebatur. Postea febre, deliriis, affectu soporoso corripiebatur, & denique, die XV. a læsione accepta, sub convulsionibus mortuus est. Morbum ipsum ejusque caussam ejus parentes celantes, nonnisi pharmacopœi cujusdam consiliis utebantur. Sectio legalis altero post mortem die peracta sequentia manifestavit. Nulla in capite læsio extrinsecus comparebat. Digiti manuum contracti erant. Dorsum atque extremitates inferiores livebant. Remotis integumentis communibus, parva quæ-

dam

dam suggillatio, digitum longitudine, & quatuor lineas latitudine æquans, in galea aponevrotica ac pericranio, ubi pars suturæ lambdoideæ superior sagittalis fini contigua est, observabatur. Cranium, caute sublatum, nec extrinsecus, nec intrinsecus ullum fissuræ vel fracturæ vestigium præ se ferebat. Meningum vasa, atque exterioris sinus, fluido sanguine turgebant. In ipsa dura meninge sub dictarum suturarum confinio & supra dicta suggillatione paucus cruor effusus hærebat. Diductis cerebri hemisphæriis, in corpore calloso, maxime in posteriore ejus parte, serum album, pellucidum, copiosum, stagnabat. Cum cerebro lamellatim resecto, ad anteriores ejus ventriculos ventum esset; hi, nondum incisi, ad medii pollicis altitudinem intumescebant, &, post eorum incisionem, sero albo pellucido plenissimi erant. Ventriculus tertius & quartus sero rubeo etiam prorsus repleti reperiebantur, & consimilis humor tanta copia, quantam duo cochlearia vix capere potuerunt, in basi cranii latebant. Reliqua viscera nihil præternaturalis ostendebant; nisi quod ventriculus, pilæ parvæ instar, contractus esset.

§. XXV.

Similis morborum effectus.

Cum in subjectis cachecticis atque hydropicis consimilis colluvies serosa in cerebri ventriculis redundet, & medicinam facientibus haud ignotum sit, hydrope, in primis anasarca, antea laborantes, etiam post plenariam aquarum eductionem, corporis debilitate, pulsu inæquali, respiratione non satis libera, morbosaque somnolentia

lentia remanentibus, apoplexia serosa citius tardiusve haud raro mori; horum mala consectaria cum læsionum externarum effectibus minime confundenda sunt.

§. XXVI.

Cerebri ulcera. Quod de humorum effusione dictum est, eam, pro loci differentia ac notitia, modo periculo carere, modo maxima mala ipsamque mortem post se trahere; id etiam de cerebri ulceribus valet; superficiales enim, accessum concedentes quandoque sanabiles sunt. At profundiores ob auxiliorum exclusionem, partiumque nobilissimarum destructionem, absolute lethales sunt. *Bohnius* de vuln. lethal. p. CVII. in cerebri, inquit, suppuratione a calvariæ perforatione nihil certi promittendum, & pauci illorum, quibus ejusmodi suppuratio aut potius coruptela saniosa contingit, evadunt, sanie quamvis copiosius promanante.

Schol. I. Cum aër externus, cranio illæsö, ad sanguinem in encephalo effusum nullum accessum habeat; suppurationes tardius ibi procedunt, sæpiusque nonnisi post nonnullos pluresve menses effectum lethalem producunt.

Schol. II. Suppurationes, quæ in cerebro post phrenitidem vel paraphrenitidem male judicatam accidunt, atque in maniam, febrem hecticam & mortem degenerant, ab illis, quæ læsionibus externis debentur, probe etiam distinguendæ sunt.

CAP.



Cap. X.

De colli læsionibus.

§. I.

Læsionum concursus.

Cum plures colli partes, v. c. vertebræ, medulla spinalis, nervi, vasa sanguifera, œsophagus, arteria aspera, pharynx, larynx, glandulæ ac musculi inter se admodum vicinæ sint; earum unam tantum sauciari vix unquam contingit; adeoque per plurium, læsionibus male habitarum, concursum lethalitas non raro oritur.

§. II.

Vertebrarum læsio.

Vera vertebrarum colli luxatio, nisi illæ simul fractæ sint, ob firmum processuum cum corpore suo coalitum, arctam illarum inter se articulationem, ligamentorumque firmitatem, in adultis locum non invenit. A graviore tamen ictu vel lapsu earum subluxatio contingere potest; quam ex partium subjectarum paralysi, &, prout hæc introrsum vel extrorsum facta sit, processus spinosi depressione, vel elevatione, dijudicare possumus. In infantibus autem ac pueris, in quibus vertebrarum processus nondum in corporum apophyses mutati, ac ligamenta adhuc laxa sunt, vertebrarum dislocatio utique accidit. Sive igitur a vi externa in adultis vertebra fracta & luxata, vel subluxata, aut in prima ætate luxata sit,

fit, medulla ſpinalis læditur vel ſaltim comprimitur; omnia hæc, niſi cita vertebræ reſtitutio locum habeat, abſolutam lethalitatem adferunt.

Schol. Quod de vertebrarum colli luxatione, ſubluxatione harumque malis ſymptomatibus atque effectibus dictum eſt, id de ſimilibus vertebrarum dorſi ac lumborum vitiis quoque valet.

§. III.

Vaſorum colli. Venarum jugularium externarum atque carotidis externæ plurium ramorum, v. c. temporalium, frontalium, naſalium ac maxillarium externarum, compreſſionem, deligationem atque conſolidationem admittentium, læſiones ad abſolute lethales haud pertinent. At venarum jugularium internarum, venarum vertebralium, arteriarum carotidum, vertebralium, ſpinalium, ac ramorum carotidum externarum majorum ac profundorum, e. g. thyroidearum, pharyngearum, maxillarium internarum, atque in malas profunde ſe demittentium, vulnera, quia, acceſſu ad illas denegato, hæmorrhagia compeſci nequit, abſolute lethalibus merito accenſenda ſunt.

§. IV.

Nervorum. Nervorum majorum per collum deſcendentium, paris intercoſtalis, vagi, cardiaci, phrenici, actionibus naturalibus ac vitalibus inſervientium, vulnera abſolute lethalia ſunt. Idem de inſignibus nervorum plexibus, ex nervis cervicalibus ad brachia deductis, affirmari poteſt; ex horum omnium

nium enim læsionibus actiones vitales immediate, vel mediate læduntur, atque dolores, convulsiones, gangræna & sphacelus cito oriuntur, vid. b. m. Dn. *H. Boerhaave* de cognosc. & curandis morbis, aphor. CLXII.

§. V.

Testimonia.

Dn. *Jo. Bohnius* de vulnerum renunciatione, p. LV. quorundam, inquit, nervorum vulnera in se quidem vix lethalia, intuitu tamen organorum magni ad vitam usus ac necessitatis, quorum actiones illa sufflaminant, lethifera dici merentur. *Idem* l. c. p. LVI. majorum, ait, nervorum in cavitatibus reconditorum læsiones, convulsionem funestam producentes, per se lethales sunt; p. LXIX. vulnera paris octavi, intercostalis & phrenici per se lethalia existunt.

§. VI.

Laryngis & tracheæ.

Enormes laryngis destructiones, ac vulnera arteriæ asperæ, sub ossis pectoris principio inflicta, aëre externo tunc non pulmones, sed pectoris cavitatem subeunte, & hos non dilatante, sed potius comprimente, ut & illa, quibuscum vasa majora adjacentia simul læsa sunt, absolutam lethalitatem adferunt. Alia, quibus plures annuli cartilaginosi discissi sunt, accedente inprimis majori emphysemate, ex gradu suo dijudicanda veniunt, & Medicum forensem, de lethalitate judicium laturum quandoque in dubio manere cogunt. Anteriori autem tracheæ parti, sub larynge & glandula tyroidea, inter cartilagines

inflicta sine mortis metu sunt; quod tracheotomia, sacra contra cynanchen anchora, extra dubitationis aleam positum est.

§. VII.

Oesophagi. Oesophagi vulnera in collo accidentia, nisi simul nervi ac vasa sanguifera ibi decurrentia læsa sint, curatu quidem difficilia; attamen haud absolute lethalia sunt. Totalis vero illius præcisio, quæ insuper sine prædictarum partium læsione accidere nequit, ut & ejus vulneratio in thorace absolutam lethalitatem inferunt; in posteriori enim casu non solum nullus auxiliis locus datur; sed etiam deglutita in pectoris cavum delapsa in putredinem spontaneam abeunt, pessimaque symptomata post se trahunt.



CAP. XI.

De thoracis & partium in illo contentarum læsionibus.

§. I.

De iis generatim. Cum ad respirationem perficiendam & sanguinis circulum minorem procurandum thoracis mechanismo atque actione opus sit; hujus læsiones, illam integram relinquentes, absolute lethalibus minime annumerandæ sunt. Ubi vero ea

ea illarum idoles est, ut spiritum trahere atque emittere non sinant, utique mortiferæ sunt.

§. II.

Thoracis vulnera.

Ubi latus thoracis alterutrum, inter costas, vulnere magno perfossum est, in pectoris cavum aër externus elasticus intrans ejus lateris pulmonem ita premit, ut rite extendi nequeat, ac respiratio admodum molesta sit. Cum autem alterius lateris pulmo officio suo rite fungi potest, atque interea læsi lateris sanationi locus conceditur; ejusmodi læsionem absoluta lethalitas haud sequitur; ubi autem utrumque thoracis cavum magno vulnere percussum est, quod insuper sine aliarum partium læsione contingere nequit, vel si ab unius cavitate vulnere mediastinum simul perforatum est, aëre externo in utrumque pectoris cavum irruente, atque aërem per glottidem intrantem æquilibrante, pulmonum pressorum, & propria contractilitate in minus spatium sese contrahentium, expansio impossibilis fit, & respiratione atque sanguinis circulo sufflaminatis, mortis necessitas sequitur.

§. III.

Arter. intercostal.

Si arteriarum intercostalium vulnera comprimi, hæmorrhagia coërceri, ac sanguis effusus paracenthesi thoracis educi potest; tunc nonnisi accidentalem lethalitatem adferunt. Ubi vero in tali loco, ad quem accessus non datur, v. c. circa exortum suum, ubi apophysibus verte-

brarum lateralibus ac musculis dorsalibus tectæ sunt, medela locum non habet; sed vulneratum mors inevitabilis occupat.

§. IV.

Sterni depressio. Pectoris osse vi externa, v. c. calcitratione depresso, quod in infantili atque puerili ætate, cartilaginibus nondum obfirmatis, facile contingere potest, pulmones comprimuntur, quin vehementer læduntur, ac respiratione & sanguinis circulo sublatis, mors necessario sequitur, nec ulli auxilio locus est. Pueri octennis exemplum mihi innotuit, cui, in humum prostrato, frater ejus natu paullo major vehemente calcitratione in pectus totum sternum depresserat, & compressis ruptisque pulmonibus, hæmoptysin enormem atque actutum lethalem produxerat.

§. V.

Costæ fractæ. Una alterave costa solummodo luxata vel fracta, cum restitutio atque consolidatio illarum locum inveniat, absoluta lethalitate haud stipatæ sunt. Plurium autem fracturæ cum magna thoracis destructione, vasorum intercostalium ac sontica pulmonis læsione combinatæ moriendi necessitatem adferunt.

§. VI.

Septi transversi. Septi transversi musculoso-tendinei, ad respirationis actum maxime facientis, superficiales in parte

parte carnosa læsiones non quidem a magnæ inflammationis periculo aliisque ominosis symptomatibus liberæ sunt; attamen nonnisi accidentalem lethalitatem producere, vulgo creduntur. Hanc autem sententiam, si majus vel duplicatum vulnus inflictum, vel arteria insignior, aut major nervi phrenici ramus læsionem acceperint, limitandam esse, arbitror. Perforata autem tendinea ejus parte, in qua motus centrum est, multique nervi vasaque sanguifera decurrunt, læsiones absolute lethales esse, experientia confirmatum est, nullique dubio subjacet. Vehementiores etiam septi transversi contusiones interdum subito lethiferas fuisse, experientia quoque docuit, vid. Dn. *Mich. Ernest. Ettmülleri* progr. de periculosa diaphragmatis vulneratione, Lips. MDCCXXX.

§. VII.

Testimonia.

Dn. *Jo. Bohnius* de vulnerum renunciat. p. XXX. tendineæ, inquit, diaphragmatis substantiæ vulnera, nisi forsan exilissima, insanabilia, & ratione metuendæ inflammationis actionisque respirationis turbatæ lethalia manent. *Idem* l. c. p. CXXXVII. utriusque, ait, diaphragmatis substantiæ vulnera per se lethalia sunt; quia nerveæ semper, carneæ vero ut plurimum talia sunt. Teste *eodem* l. c. p. CXXXVIII. vehementior diaphragmatis contusio momentaneam suffocationem inferre solet; sine dubio, quod spassum ejusmodi compressivum læsus experiatur, per quem intercepta ad tempus respiratio percussum e vivis rapit. Dn. *Jo. B. Morgagnus* l. c. l. IV. ep. LIII. art. IV. in dia-

phragmatis, inquit, vulneratione tuſſis moleſtiſſima atque adeo gravis, ut vix ferri poſſit, adeſſe ſolet. *Eodem* teſte, l. c. ep. LIV. art. II. carneæ, nedum tendineæ, ſepti transverſi partis vulnera plerumque, nec intra longum tempus, lethalia ſunt. *Jo. Zach. Platner.* in chir. ration. §. DCLXII. Ubi ſeptum, inquit, transverſum percuſſum fuit, præcordia vehementer dolent, ſpiritus ægre ducitur, inflammatio & febris accedunt, læſus crebrius ſingultit, & nonnunquam vomit; quæ omnia aſperiora ſunt, ſi ejus medium nervoſum percuſſum fuit, §. DCLXXII. quibus diaphragma percuſſum eſt, vix ad ſanitatem perveniunt, atque, icta media ejus parte, certior deſperatio eſt.

§. VIII.

Caſus. Sequentem caſum contuſionis ſepti transverſi lethiferæ *Jo. Bohnius* de vulnerum inſpectione, pag. X. propoſuit: diſſecui, ait, corpus viri mortuum, qui a jactu lateris dimidii aliquot librarum, hypochondrium dextrum feriente, ſubito concidens animam exſpiraverat; in quo nihil integumentorum, viſcerum vaſorumve læſum aut laceratum offendi; niſi quod in illo diaphragmatis loco, quo coſtis nothis ejusdem hypochondrii hoc contiguum, aliquid co. tuſionis ac ſuggillationis, ambitu ſuo vix medium imperialem æquantis, viderim. Per diaphragmatis vulnus ventriculum, atque in alio caſu inteſtini coli portionem in thoracis cavum aſcendiſſe, ac pulmonis cordisque actiones turbaſſe, a. b. m. Dn. de *Swieten* in comment. ad *Boerhaavii* aphoriſ. pr. II. p. CCLXXII. retulit.

Schol.

Schol. Ob diaphragmatis fornicationem, in posteriora declivitatem, ejusque, ex quacunque caussa, ad superiora compulsionem, inter costas suprema ventris pars recipitur; hinc vulnera inter costas subeuntia non semper ad solum thoracem pertinent, & quæ supremæ abdominis parti inflicta sunt, longiusque penetrant, non ventris solummodo, sed & thoracis viscera cum diaphragmate sauciant. vid. *Jo. B. Morgagnus* l. c. ep. LIII. art. XLI.

§. IX.

Pericardii vulnera.

Minora altiorique loco pericardio inflicta vulnera, cum vasa ejus nonnisi exilia sint, absolutam lethalitatem post se non trahunt. Ubi vero majore vulnere vel in loco inferiore hoc sauciatum est; in pectoris cavum pericardii liquor continuo exstillat, aut si nervus phrenicus in illo decurrens, aut cor, quod satis arcte amplectitur, aut pulmo sinister, simul vulnerata sunt; tunc ex ipsa læsionis indole atque effectibus, in casu individuali, judicium de absoluta lethalitate ferendum est, vid. Dn. *Gerh. Wilh. Nebel* diss. de lethalitate vulneris pericardii, Heidelb. MDCCXXXIX.

§. X.

Cordis vulnera.

Exempla cordis superficialiter, sine vitæ periculo, læsi rarissima sunt; attamen in corpore mortuo hominis, olim in thoracem vulnerati, cicatricem in cordis cono visam esse, in actis erudit. Lips. MDCCV. editis pag. CCLXXXVII. relatum est. Vulnera autem profundius in cordis substanti-

am aut ad aliquam pluresve ejus cavitates, ventriculos ſcilicet atque auriculas, penetrantia, ob enormem atque haud coërcibilem hæmorrhagiam, citiſſimam atque inevitabilem mortem adferunt. Læſo etiam vaſe cordis, in continuo motu conſtituti, coronario, inprimis arterioſo, mors, ob impoſſibilem ſanguinis ex pericardio remotionem atque hæmorrhagiæ continuationem, paullo tardius quidem, at certo, ſequitur, vid. cel. Dn. *Dan. Wilh. Trilleri* diſſ. de mirando cordis vulnere, poſt XIV. dies demum lethali, Wittenb. MDCCLXV.

§. XI.

Teſtimonia. *A. C. Celſus* de medicina, l. V. cap. XXVI. corde, inquit, percuſſo, ſanguis multus fertur, arteriæ langueſcunt, color palladiſſimus eſt, ſudores frigidi oriuntur, extremisque partibus frigidis, matura mors ſequitur. Dn. *Jo. Bohnius* de vulner. renunciatione, p. CXXVI. ſi unus vel alter, ait, cordis faſciculus muſcularis præfectus eſt, actio ejus vitalis non poteſt non turbari, & licet ita ſauciati nonnullos dies ſupervivant; attamen, nulla chirurgia locum habente, ejusmodi læſio inter abſolute lethales referenda eſt.

§. XII.

Caſus. Duo, quæ mihi obvenerunt, cordis vulnerati exempla paucis enumeraturus ſum. Ruſticorum rixantium alteri cultrum vulgarem, in ſiniſtro thoracis latere, inter coſtas veras quartam quintamque, in cordis ventriculum ſiniſtrum uſque alter adegerat, morte, ob

ob enorme sanguinis profluvium, intrá pauca temporis minuta subsequente. In dorcadum venatione adolescens XVII. annorum ictum in sinistro thoracis latere ex machina ignivoma ex improviso ab alio ita acceperat, ut tres globuli minores (Posten) sinistrum cordis ventriculum, duo septum intermedium ac dextrum ventriculum, septem pulmonem sinistrum & quinque dextrum penetrarent, morte illum statim occupante. In sectione utraque thoracis cavitas ad duas tertias cruore repleta inveniebatur.

§. XIII.

Pulmonum vulnera.

Superficialis pulmonum læsio non nisi paucum sanguinem, thoracis paracenthesi educendum, fundens, absolute lethalis non est. At si vulnus altius, vel totam eorum substantiam penetraverit, & vasa sanguifera atque aërea majora læsa fuerint; quod ex sonoro aëris ex vulnere exitu, ac sanguine coccineo atque spumoso ex eodem & ore erumpente respiratione difficili, pulsu debili, pallore, lypothymia, aliisque malis symptomatibus cognoscimus; læsio, ob hæmorrhagiam incoërcibilem atque actionum animalium sufflaminationem, absolute lethalis est. *A. C. Celsus* de medic. l. V. c. XXVI. pulmone, inquit, icto, spirandi difficultas est, sanguis ex ore spumans, ex plaga rubens, simulque etiam spiritus cum sono fertur. *Fortunatus Fidelis* de Medic. relationibus l. IV. c. IV. si pulmo, inquit, vulnus acceperit; spirandi difficultas est, sanguis ex ore spumans, ex plaga ruber, simulque spiritus cum sono fertur, in vulnus inclinari juvat, & multi tunc loquuntur, in aliam partem inclinati obmu-

obmutescunt, quidam sine ratione consurgunt. Si spatiosa laxitas est, sanguis ex plaga spumans evacuatur; si non, ore magis redditur. Si diuturnus sit morbus, hominem febris & marcor conficiunt. Dn. *Jo. Zach. Platner* in chir. rat. §. DCXXIX. ait: si pulmo ictus est, & sanguis ex ore copiose ac sine tussi fertur, vas sanguiferum majus vel plura percussa esse, intelligimus. Ubi vero tussis non nisi parum extundit, vasa sanguifera minora vulnerata sunt.

Obs. I. Si vulnus thoracis angustum panniculo adiposo obturatur, in pectoris cavitatem sanguis defluens molis fluctuantis sensum exhibet, atque pulmonem comprimendo, diaphragmatis atque thoracis actionem impediendo difficilem respirationem efficit.

Obs. II. Ubi ea parte pulmonis vulnus deprehenditur, ubi hic cum pleura concretus est, sanguis, in pectus confluere nesciens, ex vulnere fertur, & tunc, si plaga haud profunda fuerit, locum sanatio invenit. *Jo. Bohnius* de vulner. renunciatione, p. XXV. si pulmo, inquit, pleuræ adnatus est, interdum ex ejus vulnere ut plurimum lethali aliquis convalescit.

§. XIV.

Vasorum vulnera. Vasorum arteriosorum atque venosorum majorum in pectore, quin & quorundam minorum læsiones, v. c. aortæ, arteriæ pulmonalis, subclaviæ, bronchialium, œsophagearum, mammariarum internarum, venæ cavæ, pulmonalium, venæ sine pari &c. quia ad illa accessus non datur, adeoque sanguinis fluxus sisti nequit, asolute lethales sunt.

Schol. Ad cruorem in capitis, thoracis atque abdominis cavitatibus collectum educendum, illius perforationem modiolo perficiendam, atque horum paracenthesin, recte quidem atque in pluribus casibus cum salutari eventu commendant. Ubi vero cruoris coagulum valde tenax & quasi piceum est, etsi diluitionis tentamina adhibeantur, hoc tamen non ex sententia obedit, & ubi vas majus læsum est, hoc obturari & sanguinis profusio istis remediis cohiberi nequit; adeoque in hoc casu fatum quidem ad aliquot dies differtur, minime tamen evitatur, vid. *Io. Bohn.* de renunciatione vulnerum, p. XC. & XXXI.

§. XV.

Nervorum læsio.

Nervorum ad thoracem abeuntium, vel illum transeuntium læsiones, v. c. cardiacorum, paris octavi, intercostalis, phrenici, ut & plexuum atque ramorum majorum vulnera, ob gravia inde excitata symptomata, aditum præclusum, viscerumque, quibus prospiciunt, nobilitatem, absolute lethalibus merito accensenda sunt.

Cap. XII.

De abdominis & partium in eo contentarum læsionibus.

§. I.

Abdominis vulnera.

Vulnera integumentis communibus abdomen cingentibus, ejusque partibus musculosis, inflicta sana-

ſanationem facilem recipiunt. Ex arteriæ hypogaſtricæ læſione hæmorrhagia periculoſa quidem oriri poteſt. Cum vero remediis ſanguinis fluxum coërcentibus, excepto earum exortu locus datur; non niſi accidentalem lethalitatem hæc adferre poteſt. Partium tendinoſarum, v. c. annuli abdominalis, lineæ albæ ac ſemilunaris vulnera curatu quidem difficiliora; attamen haud abſolute lethalia ſunt.

Obſ. Vir quidam ſeptuagenarius, delirio chronico laborans, regioni hypogaſtricæ, atque hypochondriacæ ſiniſtræ, plura vulnera, nonnulla in abdominis cavum penetrantia, cultro infixerat. Nulla tamen, ſi a febre ſymptomatica receſſeris, mala ſymptomata hinc orta vidi, ſed, intra VI. hebdomadum ſpatium plagæ ad unam omnes perſanatæ fuerunt.

§. II.

Omenti. Cum omentum ex abdominis vulnere propendens, atque nondum corruptum, reponi, partes ejus alteratæ ſine periculo reſcindi, ac vaſa majora vulnerata ligari poſſint; ejusmodi læſiones non, niſi neglectæ vel ſiniſtre tractatæ, lethales fieri ſolent. Ubi vero circa connexionem ſuam cum ventriculo profunde læſum eſt, ac vaſa gaſtroëpiploica diſciſſa ſunt, medela locum non habet, & mors neceſſario ſequitur. *Io. Bohnius* l. c. p. CXLIX. omentum non ut tale, ſed vel ratione venæ ſplenicæ, atque arteriarum hepaticæ & ſplenicæ, proxime tranſeuntis, vel harum ramorum majorum ſibi propriorum laceratorum, vulneratum, aliquando necem adfert.

§. III.

§. III.

Mesenterii. Vulnera, mesenterium vel meso-colon penetrantia, tam ob vasorum sanguiferorum, v. c. arteriarum duodenalis, mesaraicæ superioris atque inferioris, venarum mesaraicarum magnæ & parvæ ac duodenalis, & utriusque generis ramorum majorum, innumeras anastomoses inter se nectentium, quam vasorum lacteorum majorum, glandularum, ac nervorum, a plexibus solari, atque utroque mesaraico huic visceri copiosissime datorum læsiones, respective incoërcibilem sanguinis vel chyli effusionem, inflammationem atque dolores gravissimos convulsionesque producentes, absolute lethalibus merito accensentur. Cum visceris hujus vulneratione intestinorum læsionem sæpius conjunctam esse, ex arcto harum partium nexu concipi potest, ipsaque experientia confirmatur.

§. IV.

Testimonia. Teste *Jo. Bohnio* l. c. pag. CXLVIII. mesenterii vasa majora tam sanguifera, quam lactea, per fluoris sui, plus minus vitalis, profusionem letho causam dicunt. Si hæc vulnera cum præcipite multaque chyli ac lymphæ in abdomen profusione contingant, quid auxilii illis sperandum sit, haud perspicio. Vulnera membranam mesenterii perforantia intra duos tresve dies lethalia, ac vulneratos gravissimis assiduisque doloribus affectos fuisse, apud *Frid. Ruyschium* advers. anat. decad. II. p. VIII. legimus. Dn. *Io. Zach. Platner* in chir. rationali, §. DCLXVII. mesenterio, inquit, vulnerato, vehemens dolor esse solet, in-

primis

primis si nervi, huic visceri crebrius intexti, præcisi fuerunt. §. DCLXXVI. si mesenterium percussum fuit, mors plerumque sequitur; id enim & multas majoresque arterias venasque, tum sanguinem, tum chylum ferentes, crebros etiam nervos habet, atque adipem innatum, ob quem corruptioni atque gangrænæ valde opportunum est.

§. V.

Casus. Referente *Jo. Bohnio* de lethal. vuln. abd. pag. CXLVIII. in viro, qui ex punctura regionis epigastricæ tertia die exspiraverat, ictus per omentum in mesenterii centrum penetraverat, sicque, præter vascula epiploica exiliora, propago arteriæ mesaraicæ superioris insignior transversim resectus erat; unde abdomen satis vastum cruore effuso, atque ad corruptionem inclinante, turgebat. A mesenterii læsione, post enormes dolores mortem brevi arcessitam, atque in corpore mortuo non quidem majora mesenterii vasa, sed nervos quosdam discissos fuisse, b. m. Dn. *de Swieten* in comment. ad aphor. *Boerhaavii* CLVI. retulit.

§. VI.

Ductus thoracici. Ductus thoracici atque receptaculi chyli vulnerationes ac dissectiones, ob interceptum clyli, ad nutritionem vitamque continuandam adeo necessarii, ad sanguinem progressum, ejusque in abdominis cavum effusionem, absolute lethalibus, suo jure, annumerantur. *Jo. Bohnius* l. c. pag. CXLIX. cum vasa lactea secundi generis, & receptaculum lumbare, vulnerata lymphæ & chyli ascendentis penum profundunt; non tantum viscera

gra-

gravando, ſed & ſanguini atque his ſuccum alibilem denegando, certam mortem accelerant. *J. Zach. Platner* chir. rat. §. DCLXXVI. ſi receptaculum chyli vulnus accepit, periculum certum eſſe ſolet. In milite, cui globulo plumbeo ex machina pyria exploſo ductus thoracicus disruptus, ac, poſt retractionem, clauſus fuerat, vaſa chylifera in toto inteſtinorum tractu, Dn. *D. Schwencke* obſervavit, vid. *ejus* hæmatologia, c. I. p. II.

§. VII.

Ventriculi. Parva ventriculi vulnera lateraliter inflicta, quin & majora per vulnus patentia, in quibus gaſtroraphia adhiberi potuit, quandoque ſanata eſſe, exemplis conſtitit. Cæteroquin hujus viſceris, ob nervoſo-vaſculoſo-membranoſam ſtructuram, contentorum atque humorum effuſionem ejus inflammationem, dolores exquiſitiſſimos, vomitum, ſingultum, deliria, ſyncopen, convulſiones, & ſphacelum, inprimis ſi ejus curvatura magna multis vaſis atque nervis inſtructa, cum omento connexa, pylorus, vel cardia, vulnerata ſunt, vel hæc admodum ſenſibilis graviter contuſa fuit, ut plurimum mortifera ſunt, eorumque abſoluta lethalitas in caſu ſpeciali ex gravibus ſymptomatibus a læſione productis, atque ad mortem usque durantibus, nec non ex impoſſibilitate auxilium adferendi, demonſtranda eſt. *Celſ. de* medicina, l. V. c. XXVI. inquit: ubi ſtomachus percuſſus eſt; ſingultus & bilis vomitus inſequitur; ſi quid cibi vel potionis aſſumtum eſt, id cito redditur: Arteriarum motus elangueſcunt, ſudores

res

res tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt. Conf. *Mich. Ernſt Ettmüller.* diſſ. de ventriculi vulneribus eorumque lethalitate, Lipſ. MDCCXXX. *Phil. Conr. Fabricii* diſſ. de lethalitate vulnerum ventriculi ſecundum principia anatomico-medica expenſa, Helmſtad. MDCCLI.

§. VIII.

Teſtimonia. Cenſente *Jo. Bohnio* in tr. de lethalit. vuln. c. V. p. CXXXIX. ventriculi vulnera, vel ratione vaſorum ſanguiferorum, vel ratione compagis ſibi propriæ, lethalia obſervantur; dum per illa contingens hæmorrhagia totius corporis viribus enormiter derogat, ſanguinis vero ad interiora facta profuſio mole atque putredine viſceribus vim infert: per hæc autem digeſtio alimentorum horumque diſtributio, fluidis materiam ſubminiſtrans, turbatur atque aboletur; imo illorum ad ventrem rejectione, hujus interanea pariter materia moleſta, atque in ſui ac horum exitium vergente, obruuntur. *Idem* l. c. p. CLX. plagæ, inquit, orificia ventriculi penetrantes ſemper lethales ſunt, ſiniſtri ſcilicet, ob deglutitionem impeditam, atque inevitabilem plexuum nervorumque inſigniorum lacerationem, inflammationem, convulſionem: dextri ob chymi diſtributionem impeditam, ac vomitus bilioſos enormiores. *Idem* de vulner. inſpect. p. X. valentior, ait, regionis epigaſtricæ percuſſio, ad ſuffocationem atque aſphyxian diſponens, aliquando, ſine tumore & vulnere patulo, necat. Teſte *Jo. B. Morgagnio* l. c. l. IV. ep. LIV. art. IX. eos, quibus ventricu-

triculi fundus, multis variæque originis nervis instructus, sauciatus est, intra breve tempus ut plurimum mori, observationes luculenter confirmant. Dn. *I. Z. Platner* l. c. §. DCLXXII. in præcipiti sunt, quibus ventriculus percussus fuit, inprimis si duo ejus tergora vulnerata sunt. Nulla spes superest, si icta est ima ventriculi, vel ea pylori pars, quæ in summum intestinum coarctatur.

§. IX.

Casus.

Ab opilione robusto viri debilis, annis LX. majoris, cordis scrobiculum semel, atque processus sterni ensiformis bis ferrea pedi extremitate contusa erant. Extrinsecus nonnisi tres maculæ parvæ, pisiformes, lividæ, conspiciebantur; nihilominus læsus statim vomitu, syncope, nychtemeron durante, posteaque deliriis, cum commate somnolento alternantibus, ac febre correptus, & non nisi solicita curatione vix intra bimestre spatium restitutus fuit, mentis ac corporis imbecillitate adhuc aliquamdiu perdurantibus.

§. X.

Intestinorum vuln: notæ.

Intestinorum vulneratorum signa *A. C. Celsus* l. V. c. XXVI. sequente ratione proposuit: communes intestini tenuis & ventriculi vulnerati notæ sunt; nam cibus & potus per vulnus exeunt, præcordia indurescunt, ac bilis nonnunquam per os redditur. Cætera intestina icta vel stercus, vel odorem ejus exhibent. His addi potest, quod cruenta per alvum descendant, &

S dolor

dolor colicus, singultus, atque vomitus adsint, atque ex intestino tenui vulnerato chylus exeat.

§. XI.

Eorum vuln. sanab. Quædam intestinorum vulnera parti a mesenterio remotæ inflicta, ad quæ per abdominis vulnus jam patens, vel arte ampliandum, auxiliis accessus, & enteroraphiæ locus datur, quin & ipsa intestini a ventriculo remotioris discissio; ubi ejus extremitas superior cum vulnere consui, & hoc modo artificialis fecibus alvinis exitus procurari potest, sanationem admittere, exemplis evictum est. Exile primarum viarum vulnus aliquando sanari posse, *Jo. Bohnius* l. c. p. XXXVII. asseruit. Intestinorum vulnera minora & recta, præcipue si intestinum vulneratum ad peritonæum adduci potest, glutinari posse, & tenuibus crassa facilius sanescere, in Dn. *Platneri* chir. rat. §. DCLXXIV. stabilitum est. Conf. Dn. *Io. Hier. Vogelii* theses de gemino coli vulnere non lethali, Halæ Magd. MDCCIII. *Abr. Vateri* diss. de vulnerum in intestinis lethalitate, occasione casus rarissimi, quo colon vulneratione inversum per XXIV. annos ex abdomine propendens exhibetur, Wittenb. MDCCXX. *Franc. Mery* diss. an intestinorum tenuium vulnus lethale? Paris. MDCCXLII. *Andr. Westphal.* diss. de vulnere coli consolidato, Gryphiswald. MDCCXLIII.

§. XII.

Lethalia. Ubi vero ad intestini vulnus accessus non datur, vel aliæ partes nobiles

biles, ad vitæ ſuſtentationem neceſſariæ, v. c. meſenterium, meſocolon, pancreas hujus ductus, cholidochus, ſimul læſa vel diſſecta fuerunt; tunc ex ſymptomatum gravitate, morte cum iis cohærente, atque corporis mortui ſectione, abſoluta vulneris lethalitas eruenda atque pronuncianda eſt. *Jo. Bohnius* de vulnerum renunciat. p. XXX. propter texturam, inquit, membranoſam ventriculi atque inteſtinorum vulnera vix unquam coaleſcunt; hinc periculoſiſſime atque ut plurimum lethales exiſtunt; dum vel ratione inflammationis ac ſphaceli, vel dolorum ac ſpaſmorum ſupervenientium, vel contentorum in abdominis cavum depoſitorum, mortem inferunt, l. c. p. XXXVII. primarum viarum, ait, vulnus majus ſemper peſſundat. Dn. *Io. Zach. Platner* l. c. inteſtinum, inquit, utrinque perforatum mortem plerumque maturat.

§. XIII.

Hepatis læſiones.

Poſt lapſum vehementioremque contuſionem hepar aliaque viſcera abdominalia, etiamſi nulla læſio extrinſecus compareat, graviter contuſa, quin rupta eſſe ſolent. Illud ſontica vaſorum ſanguiferorum vel bilioſorum vulneratione lethaliter affici, poſtea dicam. Hepatis læſi ſigna *A. C. Celſus* l. V. c. XXVI. ita deſcribit: jecinore vulnerato, multus ſub dextra præcordiorum parte profuſus ſanguis, punctiones doloreſque, nonnunquam etiam vomitus bilioſus accedit. *Fortunatus Fidelis* l. c. l. IV. c. IV. p. DXLIV. hepate, inquit, vulnerato, ſub dextra parte multus ſanguis profunditur, præcordia ad ſpinam reducun-

ducuntur, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones doloresque usque ad jugulum, nonnunquam vomitus biliosus accedit, ægrotus pallet, tussit, febricitat, atque urina egestioque non raro cruenta redditur, & his tandem corpus quasi atrophia liquescit atque absumitur, vid. Dn. *Car. Aug. a Bergen* diss. de lethalitate vulnerum hepatis, Francof. ad Viadrum MDCCLIII.

§. XIV.

Hepar ruptum. Hepatis ruptura, ob enormem humorum in abdominis cavum effusionem, ipsiusque visceris destructionem, cito lethalis est. Dn. *J. B. Morgagnus* l. c. l. IV. ep. LIV. art. XV. salvo, inquit, abdomine, percussioni primum occurrente, conclusas sub ipso partes disrumpi, novum non est: tu igitur, si post ictum abdominis vehementem gravissima symptomata accedant, quid intus fieri poterit, etiamsi nullam in cute læsionem videas, suspicaberis. Imo etsi non statim illa symptomata adsint; noli sine omni timore esse; ne quid forte latentis mali sensim crescat, ejusque indicia universa de improviso erumpant.

§. XV.

Casus. Post vim abdomini extrinsecus illatam in puero novem annorum jecur laceratum *Valsalva* invenit. In alio puero, post similem caussam, cute integra, jecur medium ruptum, b. m. Dn. *Laur. Heisterus* deprehendit, vid. *I. B. Morgagnus* l. c. art. XV. In viro ex ebrietate in fossam XVI. pedes profundum delapso, ac die IV. mortuo, nulla læsione extrin-

extrinsecus comparente, hepar alte fissum repertum fuit, vid. cel. Dn. *Ern. Gottl. Bose* progr. de hepate rupto, Lips. MDCCLXXVII.

§. XVI.

Hepatis vasa sanguif.

Nonnisi ea hepatis vulnera, quæ ejus superficiem ita tantum tetegerunt, ut nihil, vel parum, sanguinis in abdominis cavum effluxerit, sanabilia dici merentur. Dn. *Jo. Bohnius* l. c. p. CLI. vix apparet, ait, quales hepatis percussiones lethalium classi eximi debeant; nisi cum Sennerto illius superficiei tantum ejusmodi prærogativam decernamus. Dn. *Jo. Zach. Platner* l. c. §. DCLXXV. quibus, inquit, jecinoris summa vel extrema pars vulnerata est, ii servari possunt. Quæ autem, profunde in ejus substantiam penetrantia vasa majora aperuerunt, hæmorrhagiam cito lethalem producunt; nec laxa hujus visceris substantia vasorum discissorum contractionem, ac vulneris consolidationem, uti partes musculosæ, admittit. Teste *Aretæo* de caussis & signis morb. long. l. I. c. XIII. sanguinis e jecinore profusio nullo modo cöerceri potest. Nullum, *Bohnius* l. c. p. CLIII. inquit, hepatis vulnus, quod cum multi sanguinis emanatione, hinc vasis vel unius majoris, sive plurium minorum, ejus compagi undique intertextorum laceratione, vel pathematis irresistibilibus evenit, salutare dici potest; sed, qui sub hoc pereunt, ex percussione, ut tali, perire præsumuntur. Dn. *Platner* l. c. ubi hepar, ait, medium percussum est, & ubi læsæ sunt majores arteriæ ac venæ, vulnus mortiferum est.

§. XVII.

Casus. Subcenturio rixoso, jurgii caussam inferenti, atque literarum studioso certamen singulare acciderat. Huic, nonnullis vulneribus in faciem atque humerum inflictis, gladium e manu excusserat, quem hic, sub ipso sublationis actu in illius hypochondrium dextrum adigens, hepar adeo profunde vulneraverat, ut læsus inter sex prima horæ minuta, sanguine exhaustus, concideret, animamque redderet.

§. XVIII.

Vasa cum eo connexa. Vasorum hepati aecumbentium illudque subeuntium, v. c. arteriæ hepaticæ, cysticæ, venæ splenicæ, mesentericæ, portarum vulnera, ob incoërcibile sanguinis profluvium, absolute lethalibus utique accensenda sunt, vid. *Io. Bohnius* c. l. p. CLIII. Hepatis vulnus lethale cum venæ portarum laceratione coniunctum *Petr. Forestus* obs. chir. I. v. obs. III. cum venæ cavæ trunco, *Timæus* respons. XX. descripserunt.

§. XIX.

Vasa biliosa. Leviorem acinorum biliosorum superficialium læsionem sanationem admittere posse, verosimile est. At ductuum biliosorum, inprimis majorum, hepatis parenchyma profundius perreptantium, ductus, hepatici, cystici, cholidochi atque cystidis felleæ vulnera, ob incorrigibilem bilis effusionem, putrescentiam, actionumque naturalium turbationem, in absolute lethalium censum sine dubio

dubio veniunt. Cui accedit, quod vasa hæc, sine sanguiferorum læsione, vulnerari nequeant. Nec observationes de fundo cystidis felleæ calculis vel pure turgentis ac protuberantis artificiosa operatione aperto ejus vulnera casu inflicta excusant. vid. b. m. Dn. *Christ. Gottl. Ludwig* instit. Med. forens. §. CCCXLI. *Jo. Bohnius* l. c. p. CLIV. caussa, inquit, immediata, qua cystidis felleæ dilacerationes mortem inferunt, bilis profusio, ejusque ad intestinum defluxus interruptus est. Quale quid pariter dicendum puto, si ductus hepaticus vel choledochus eo usque saucientur, ut bilis actio in intestinum aboleatur. *Jo. Zach. Platner.* l. c. §. DCLXVI. ubi bilis, inquit, receptaculum, illaque itinera, per quæ hæc emittitur, vulnerata sunt, bilis ex vulnere fertur. §. DCLXXV. si in hepate, ait, bilis itinera læsa sunt, vulnus mortiferum est.

§. XX.

Lienis ruptura.

Lien, tamquam viscus molle ac spongiosum, a gravi hypochondrii sinistri concussione, nullis etiam læsionis signis extrinsecus conspicuis, lethaliter rumpi potest. Vir quidam, post casum ab alto, insigni abdominis tumore correptus, intra IV. horarum spatium obiit. Extrinsecus in corpore mortuo nihil præternaturalis conspiciebatur, at lien in parte sua convexa ruptus, & magna sanguinis copia in abdominis cavum effusa erat. Lienis a percussione externa fissi, mortisque ob ingentem sanguinis effusionem subsecutæ duo exempla *Jo. Bohnius* l. c. p. CCLXXXII. retulit.

§. XXI.

Vasa ejus sanguifera. Parva vasorum lienalium in superficie sitorum vulnera, nonnisi paucum sanguinem fundentia vitæ periculum non adferunt. Ubi vero lienis substantiam vulnus aliquod profundius penetrans, ramos arteriosos atque radices venosas majores disciderit lethale sanguinis profluvium exoritur. *A. C. Celsus* l. c. liene, inquit, icto, sanguis niger a sinistra parte prorumpit, præcordia cum ventriculo ab eadem parte indurescunt, sitis ingens oritur, ac dolor ad jugulum, sicut jocinere vulnerato, venit. Dn. *Jo. Zach. Platner* l. c. §. DCLXXVI. periculum, ait, certum esse solet, si lien vulnus accepit.

§. XXII.

Pancreatis vulnus. Cum pancreas, glandula conglomerata, pone omentum atque ventriculum a duodeno ad lienem transversim extensa, sine unius alteriusve vicini visceris vulnere lædi nequeat, nervos a pari vago atque intercostali, multas a splenica, duodenali, gastrica magna, pylorica ac mesaraica arteriolas, a vena splenica multas radices venosas, ut & permultos canaliculos serosos, in unum ductum excretorium coëuntes habeat, profundæ ejus læsiones absolute lethales sunt. Dn. *Herm. Frid. Teichmeyer* instit. med. legal. cap. XXIII. p. CCXXIV. vulnerato, inquit, pancreate, succus pancreaticus neque elaboratur, neque secernitur, neque ad intestinum duodenum defertur; ergo nutritio & sanitas & vita læduntur: ergo in hac re a Dn. *Jo. Bohnii*, ocula-

oculatissimi ceteroquin scriptorum medicinæ forensis coryphæi, opinione dissentire, cogor, qui in tract. de renunciatione vulnerum p. CXLIX. pancreatis, inquit, plagas non, nisi arteriarum ac venarum transeuntium occasione, mortiferas augurari possumus.

§. XXIII.

Utriculi læsiones.

Cum in sectione cæsarea, eductis fetu secundisque, utriculus ejusque vasa sese contrahant, atque ex circumspecte inflicto vulnere magno parvum atque curabile fiat; uterum gravidum, sine certo vitæ periculo, vulnerari posse, clarum est. Longe autem alia res est, si uterus vacuus vel gravidus, solus vel cum partibus vicinis, temere profundeque læditur; ejusmodi enim vulnerationem hæmorrhagia lethalis, nulla arte coërcenda, & si uterus gravidus fuerit, embryonis interitus sequitur. Vehementior etiam uteri gravidi percussio & abortui caussam subministrare, ipsumque uterum aliaque viscera vicina graviter lædere solet, vid. Dn. *Jo. Mart. Reichardi* diss. de utero gravidæ una cum fetu vulnerato. Argent. MDCCXXXV.

§. XXIV.

Utriculi læsi signa.

A. C. Celsus de medicina, l. V. c. XXVI. cum vulva, inquit, percussa est, dolor in inguinibus, coxis atque feminibus est, sanguis, pars per naturam, pars per vulnus, descendit, ac bilis vomitus insequitur: Quædam obmutescunt, quædam mente labuntur, quædam autem sui com-

potes, nervorum dolore se urgeri confitentur, morientesque eadem, quæ corde vulnerato, patiuntur.

§. XXV.

Testimonia. Dn. *Jo. Bohnius* de vulner. renunc. c. V. p. CLX. si uteri, inquit, vasorum sanguiferorum unum alterumve saucietur, sanguis non tantum utero, sed toti, detrahitur, aut in abdomine, in viscerum detrimentum, cumulatur. Si idem organon, dum fetum gestat, ejusmodi ictum, etiam extra vasorum majorum diremtiones, experiatur; matri pariter ac proli ille lethiferus existit. Illi quidem, quod totus ejus spongiosus ambitus multo cruore turgeat, hinc laceratus ad animi deliquium eundem profundat; huic vero, quod subsidiis vitalibus defraudetur. Verberibus aut pedum conculcationibus uterus eo usque aliquando concutitur, ut damnum ingens in fetum pariter redundet. Dn. *Jo. Zach. Platner*, l. c. §. DCLXXVII. Uterus, inquit, cum periculo summo vulneratur, maxime in gravida, in qua arteriæ venæque multum distentæ sunt; plerumque enim feminæ sanguinis profusione, vel inflammatione, brevi moriuntur.

§. XXVI.

Casus. Chirurgus quidam Gallus, anonymus, in arte relationes faciendi art. IX. sequentem casum memoriæ prodidit: ad feminam, inquit, VIII. menses gravidam, gladio in imum ventrem ad tres transversos digitos sub umbelico vulneratam, arcessitus fui. Vulne-

Vulneratam ſanguinis profluvio jam extinctam deprehendi. Sub ſectione, eodem veſpere magiſtratus juſſu peracta, uteri fundum gladio penetratum atque embryonis pectus eodem profunde læſum, multumque ſanguinis in abdomine effuſi reperi, atque hanc læſionem & matri atque embryoni lethiferam fuiſſe, pronunciavi.

§. XXVII.

Renum læſiones.

Superficialia renum, pone peritonæum collocatorum, vulnera abſolutam quidem lethalitatem non adferunt. At profunda, quibus eorum vaſa ac pelvis inciſa, vel diſſecta ſunt, vel ſi renes a vi externa tam vehementer contuſi, atque in ſubſtantia ſua adeo læſi ſunt, ut incoërcibilis ſanguinis & lotii acrimonia ac putredine nocentis, in renum adipem, quin & abdominis cavum effuſio, vel mictus cruentus, aut ſontica inflammatio, gangræna, aut magna ſuppuratio ſequatur; ejusmodi læſiones abſolute lethalibus accenſendæ ſunt. Ureterum inciſorum vel diſſectorum conſimilis ratio eſt.

§. XXVIII.

Ejus ſigna.

Renibus percuſſis, teſte *Celſo* l. c. dolor ad inguina teſticulosque deſcendit, difficulter urina redditur, eaque aut eſt cruenta, aut cruor fertur. Dn. *Jo. Zach. Platner* l. c. §. DCLXVI. renibus, inquit, percuſſis, urina in adipem, renes ambientem, hujusque cellulas fertur. In his vero mala ulcera, & quandoque gangræna, enaſci ſolent.

solent. Dolor acrior cum prurigine atque calore est; quia humor serpendo penetrandoque adipem aliasque partes vorat. Pauca urina & cum difficultate redditur, in qua quaedam cruenta concreta sunt, aut sanguis per urinae iter profluit. Ubi vulnere praecisus ureter est; dolor ad inguina testiculosque descendit, quem dolorem alias patiuntur, quibus calculus ex renibus in ureteres prolapsus est.

§. XXIX.

Testimonia. Teste *Celso* l. c. ille haud servari potest, cui renes percussi sunt. Dn. *Jo. Bohnius* l. c. p. CLVI. Celso renum vulnera pro lethalibus habenti adstipulatur, si in eorum substantiam profundius penetrantia, vasorum emulgentium ramos atque pelvis tubulos laeserint. Licet idem autor superficiales eorum laesiones minime mortiferas esse, declaraverit; addit tamen, in cunctis renum vulneribus eorum inflammationem, atque inde emergentem ischuriam attendendam esse; quod solum symptoma, altero etiam rene integro, ea lethalia reddere posset. Refert etiam huc ureterum praesectiones, & per has ad abdomen confluam urinam; quae mole pariter ac putredine vulneratis exitio est. Dn. *Jo. Zach. Platner* l. c. §. DCLXXVIII. non ita mala, inquit, renum vulnera sunt, quae in summa atque externa horum parte substiterunt; mortifera vero, quae penitius penetraverunt. Si enim ex plaga, qua ren percussus vel ureter praecisus est, urina exit; illa futuram mortem, vel maturiorem, vel seriorem, denunciat.

§. XXX.

§. XXX.

Adolescens XVIII. annorum, navi- *Casus.* culariæ operam dans, in regione lumborum sinistra remo vehementer percussus, primo mictu cruento refractario laboravit, &, facta renis suppuratione, hecticus denique periit.

§. XXXI.

Ex lithotomia aliisque casibus, *Vesicæ* quædam vesicæ vulnera, per quæ lo- *vuln. sa-* tio exitus atque remediis chirurgicis *nab.* accessus datur, sanabilia esse, discimus. Referente Dn. *Io. Bohnio* l. c. pag. CLVIII. autorum plerique fundi perforationes per se, cervicis minus lethales pronunciant. Addit tamen *idem autor*, nec cervicis vulnera semper adeo salutaris eventus esse, nonnullos etiam in vesicæ fundo vulneratos convalescere, si ictus illam fundi partem tetigerit, ubi vesica cum perinæo ligatur, seu ubi huic atque abdominis musculis connectitur.

§. XXXII.

Curati vulneris vesicæ exemplum *Casus.* Dn. *Frid. Ruyschius* obs. anat. LXXV. retulit: vir, nimirum in hypogastrio sauciatus, tantum vesicæ vulnus acceperat, ut per urethram ne guttulam quidem urinæ excerneret; sed ex vulnere tantum ejus continue profunderetur, ut in lecto supposita omnia abunde humectarentur. Post aliquot dies in vulnere, sarcoticis linteo carpto exceptis tractato, nova caro conspiciebatur, atque ex urethra sanguinis grumosi portio cum aliquot urinæ guttulis excerneba-

nebatur. Sequentibus diebus tantum incrementi sumsit incarnatio, ut omne lotium per urethram redderetur, atque vulneratus brevi post convalesceret. Casum juvenis, cui ab adversario ignoto hypogastrium noctu perfossum erat prope ossis pubis commissuram, *Bohnius* l. c. p. CLVIII. retulit. Hunc hæmorrhagia insigni, vomitibus atque dolore ejus regionis ad lipothymias usque fractum deprehendit. Per vulnus omnis urina, nihil autem, aut parum hujus per urethram, nisi ope catheteris excernebatur, & quidem per plures dies; donec turundarum usum autor noster dissuaderet, & plagam iis chirurgi tractarent, quibus intra octiduum plaga coalescebat, & urina per meatum ordinarium reddebatur. Dominum *Bourienne* vulnus, globulo ex machina pyria exploso inflictum, atque vesicam vrinariam bis penetrans, consolidasse, in diario ad medicinam, chirurgiam ac pharmaciam pertinente, Parisiis MDCCLXXII. edito, relatum est.

§. XXXIII.

Vesicæ vulneratæ sign.

Vesicæ urinariæ vulneratæ signa *A. C. Celsus* l. c. retulit, inguina, quiens, dolent, quod super pubem est, intenditur, pro urina sanguis, atque ex ipso vulnere urina descendit, stomachus afficitur, itaque aut bilem vomunt, aut singultiunt, frigus, atque ex eo mors, sequitur.

§. XXXIV.

Vesicæ vulnera lethalia.

Ubi vesica vulnere ita magno læsa, vel lotio distenta a contusione externa rupta fuit, ut illud in abdominis cavum effluat, atque plenaria

naria ischuria, lotii putredo, viscerumque in illo maceratorum corruptio sequatur; tunc læsio absolute lethalis est. Dn. *Jo. Bohnius* de vulner. renunciatione, p. XXX. vesicæ, inquit, urinariæ vulnera vix umquam coalescunt, hincque periculosissimæ atque ut plurimum lethales sunt; dum vel ratione inflammationis ac sphaceli, vel dolorum ac spasmorum supervenientium, vel lotii in abdominis cavum depositi, mortem inferunt. Dn. *Jo. Zach. Platner* l. c. §. DCLXXIX. vesicæ, inquit, vulnera mala sunt, magnumque periculum inferunt.

§. XXXV.

Casus. In juvene, qui noctu ad prominentem arboris ramum hypogastrium alliferat, nullum extrinsecus læsionis signum visum, sed vesica, cum lethali eventu, rupta inventa fuit. Referente *Jo. Bohnio* l. c. pag. CLIX. in viro mox supra pubem in hypogastrio vulnerato, cum egressu intestinorum per plagam externam, licet hæc reposita & vulnus sutura firmatum erat, post diem tertium mortuo, collum vesicæ perforatum, ac pelvis cruore congrumato referta deprehensa fuit. Vir machera venatoria intra os ileum atque sacrum ita vulneratus, ut punctura in substantiam vesicæ membranaceam dextri lateris penetraret, mox corruit, & pariter tertio die exspiravit. In sectione ejus, præter dictam plagam, multum urinæ sanguine tinctæ in abdomine conspiciebatur. Referente cl. Dn. *D. Berchelmanno*, in viro ebrio a compotatore prostrato calcibusque petito, atque post magnum abdominis tumorem, ischuriam, febrem, singultus atque vomitus, post diem a læsione

ne quartum, mortuo, nullum quidem externum læſionis ſignum, ſed foramen in veſicæ fundo, ultra pollicem longum latumque, ejus oræ ſphacelo corruptæ, ac lotii circiter XV. libræ in abdominis cavo, ſub ſectione, inventa fuerunt, vid. acta ſociet. acad. Haſſiacæ tom. I. p. CXXVI.

§. XXXVI.

Vaſor. maj. vuln. lethal. Vaſorum ſanguiferorum majorum aliorumque notabiliorum, in abdominis atque pelvis cavo obviorum, atque inſigniorum ramorum atque radicum ad illa pertinentium, vulnera, cum ſanguinis profluvio, nulla arte compeſcendo, conjuncta, ad abſolute lethalia pertinent, v. c. arteriarum aortæ, phrenicarum, cœliacæ, ſtomachicæ coronariæ, hepaticæ, ſplenicæ, meſaraicæ ſuperioris, renalium, ſpermaticarum, meſaraicæ inferioris, arteriarum lumborum, iliacarum primitivarum, hypogaſtricarum, iliacarum parvarum, umbilicalium, iliacarum externarum, atque epigaſtricarum in exortu ſuo: Venarum, v. c. cavæ atque radicum ejus inſigniorum, diaphragmaticarum inferiorum, renalium, ſpermaticarum, venarum lumborum, iliacarum primitivarum, externarum, hypogaſtricarum, venæ portarum trunci atque ejus radicum, meſaraicæ parvæ, magnæ, ſplenicæ.

§. XXXVII.

Minorum. Quin ex arteriis internis minoribus vulneratis, ad quas acceſſus non datur, v. c. gaſtrica ſiniſtra, epiploica, ſplenicæ ramis, hepatica dextra, meſaraicæ dextræ propagine, arteriis renum ſuccenturiatorum, uretericis, ſacris lateralibus ac media, ileo-lumborum,

borum, iliacis posterioribus, pudendis communibus, hæmorrhoideis mediis, uterinis, vesicalibus, ischiaticis &c. hæmorrhagia lethalis ex ipso casu dijudicanda, accidere potest. Quibus accedit, quod unum alterumque viscus abdominale simul læsum sit, atque periculum augeat. Cum simili periculo vasorum lymphaticorum majorum læsiones, ob continuum lymphæ effluvium conjunctæ sunt.

§. XXXVIII.

Testimonia.

Fortunatus Fidelis de Medicorum relationibus, l. IV. c. IV. venæ, inquit, & arteriæ, quæ in imo sunt corpore, si vulnus accipiant, illæ nigræ sanguinis ingentem copiam fundunt, pallent ægrotantes, atque interitus promtissimus est. Hæ autem tenuem, flavum ac spumantem sanguinem effundunt, arteriæ statim immutantur, ac non multo post mors sequitur. Dn. *Jo. Bohnius* l. c. pag. CLXIII. in abdomine, inquit, mortaliter læduntur vasa majora hoc transeuntia, per quarum lacerationes multum sanguinis profunditur. Qualem quoque lethalitatis præsumtionem habent vasa lymphatica per eundem ventrem hinc inde lata, in primis horum caudex major super spinæ vertebras, inter aortam & cavam, cysternam lumbarem conscendens, aut si plures ejus ramuli simul, v. c. sub hepatis cavo aut circa venæ portarum confinium rumpantur.

§. XXXIX.

Nerv. abdom. læsiones.

Nervi insigniores in abdomine decurrentes, v. c. par vagum, intercostale, majoresque illorum rami ac plexus, nervi lumborum at-

que ossis sacri, nervorum femoralium ischiaticorumque principia constituentes, non sine certo vitæ periculo vulnerantur, eorumque læsiones sæpius cum ominosis viscerum vasorumque vulneribus conjunctæ esse solent. *Io. Bohnius* de renunciatione vulner. p. CXVII. quorumcunque, inquit, ramorum nervosorum ac plexuum interna corporis perreptantium, adeoque remediorum congruorum usum non admittentium, lacerationes aut puncturæ immediata mortis caussa existunt.

§. XL.

Partium genital. viril. Nec scroti, nec tunicarum vaginalium, communis & propriarum, læsiones vitæ periculum adferunt; cum illud, separata corrupta parte, sponte renascatur, & hæ, uti ex hydroceles operatione videmus, consolidationem admittant, vid. Dn. *Geor. Christ. Dethardingii* progr. de scroti restitutione spontanea. Testiculorum atque funiculorum spermaticorum læsiones, quatenus ligationem atque resectionem patiuntur, gravibus quidem symptomatibus stipatæ, attamen non absolute lethales sunt; nisi dicti funiculi in loco justo altiori, atque foramini abdominali adeo vicino, ut operationem haud admittant, graviter vulnerati sint. Corporum penis nervosorum vulnera non quidem absolute lethalia sunt, cum amputatio locum habeat; attamen ob enormem hæmorrhagiam, exquisitum dolorem, metuendamque inflammationem gangrænosam, admodum periculosa sunt, &, nec ligatura, nec ustione hic locum habente, nisi styptica atque compressiones sufficiant, fatis cedere

dere

dere miseri coguntur, vid. Dn. *Herm. Frid. Teichmeyer* instit. med. legal. p. CCXXXI.



Cap. XIII.

De partium extremarum vulneribus.

§. I.

Earum vulner. sanabil.

Pleraque extremitatum vulnera, incisis etiam vasis majoribus, in quibus scilicet apta horum deligatione, vel, si opus sit, membri læsi detruncatione, succurri, vitaque servari potest, absolute lethalibus accenseri nequeunt. Illarum tamen dari læsiones valde ominosas, curatuque difficillimas, inficias ire non possumus, v. c. si instrumentum lædens oblique atque alte adactum est, ita, ut vulneris externi atque interni sedes inter se minime conveniant, vel si arteria profunde sub musculis latens, aut ligamentum interosseum transiens, incisa vel dissecta est, atque magno anevrismati spurio, non sine sphaceli metu, occasionem præbuit, vid. Dn. *Wilh. Huldr. Waldschmidii* diss. de vulneribus arteriarum in artubus sæpe periculosis, raro lethalibus, Kiloniæ MDCCXXVIII.

§. II.

Sanationes rariores.

Læsionum periculi plenissimarum curatarum rariores subinde

casus occurrunt, in quibus connexorum syndrome curationem possibilem reddidit. Sed ex his convulsiones ad alios quosvis ominosos casus applicandas deducere, minime convenit; sed potius ex quovis dato casu rite expenso, an auxilio locus relictus fuerit, nec ne? demonstrandum est. Casum juvenis sclopeti globulo in femore vulnerati, post ingentem tumorem febremque vehementem, remoto multo cruore, atque arteria semilacera utrimque ligata, sanati; *Mar. Aurel. Severinus* de efficaci medicina, l. I. pr. II. p. LI. retulit. Conf. Dn. *Laur. Heisteri* diss. de vulnere arteriæ cruralis periculosissimo feliciter sanato, Helmstadii MDCCXLI.

§. III.

Læsiones absolute lethal.

Vehementiores articulorum trunco proximorum, contusiones cum multiplici fibrarum, vasorum nervorumque dilaceratione conjunctæ, facile in gangrænam degenerantes, curationem haud raro impossibilem reddunt. Vasorum sanguiferorum majorum trunco proximorum late patentes incisiones vel dissectiones, v. c. axillarium, femoralium, in quibus nec vasorum deligatio, nec membri detruncatio locum invenit, absolute lethales sunt.

§. IV.

Testimonium.

Jo. Bohnius l. c. p. XXXIII. artuum, inquit, vasa majora in trunci vicinia, v. c. axillaria atque cruralia, tam arteriosa, quam venosa, scilicet sub alis, vel prope inguina, lacerata, exiguam aut nullam salutis

lutis spem concedunt; ita, ut ejusmodi vulnerati ut plurimum brevi, & antequam chirurgus arcessatur, cum sanguine animam effundant. *Idem autor* l. c. p. XXXVI. arteriarum, ait, profundius sub musculis per brachium ac femur descendentium vulnera summe periculosis annumeranda sunt; ubi scilicet circumstantia quædam obstet, quominus læsæ arteriæ locum augurari aut dignoscere, multo minus adæquata remedia commode admovere liceat.

§. V.

Idem de nervorum majorum, v. c. brachialium, femoralium, atque ischiaticorum incisione in locis profundis truncoque vicinis valet; cum sufficientia auxilia tunc adhiberi nequeant. Modo laudatus *Jo. Bohnius* l. c. p. CXVIII. anceps, inquit, hæreo, de nervorum caudicibus humeri ac femoris summitati inplantatis; quippe ratione situs profundioris, topicorum vis non penetrat, incisionibus autem illis viam parare, ob grandiorum vasorum propinquitatem, temerarium videtur. Si ad amputationem provoces; hoc auxilium, in hac artuum summitate adhibendum, plus audaciæ, quam rationis, sapit. *Nervorum.*

Cap. XIV.
De infanticidio.

§. I.

Læsiones adultis lethiferæ tales etiam infantibus sunt. In his in- *Infantum læsiones.*

ſuper partim plures, partim etiam quædam facilius locum habent, nec auxilia chirurgica æque in his, uti in illis, ſemper & ubique applicari queunt, v. c. jam in utriculo fetus vita privari, variisque nefandis artibus exturbari, vel ſtatim a partu ſordibus atque aëris injuriis relictus necari, vel, neglecta funiculi umbilicalis deligatione, hæmorrhagiam cito lethalem incurrere poteſt. Oſſium cranii depreſſiones ac vertebrarum luxationes in illis facile fiunt: variis rationibus ſuffocantur. Ob oſſium mollitiem modioli applicationi, atque, ob primarum viarum teneritatem, gaſtroraphiæ, enteroraphiæ, locus non datur; ſingularem igitur, conſiderationem læſiones, quibus embryones, naſcentes ac recens nati obnoxii ſunt, merentur, vid. Dn. *Wolf. Adami Schæpf.* diſſ. de infanticidio præſumto, Tubingæ MDCCXXXVII. Dn. *Henr. Wolfarth.* diſſ. de infanticidio doloſo ejusque ſpeciebus, Francofurti ad Viadrum, MDCCL. Dni *Geor. Chriſt. Detharding.* diſſ. de cautione Medici circa caſus infanticidiorum, Roſtochii MDCCLIV.

§. II.

Fetus abortivus. Ob varias cauſſas morboſas, v. c. effrenatas animi perturbationes, ſpasmos vehementes, plethoram commotam, uteri laxitatem, ac morbos malignos, vel etiam ob vim externam, niſum graviorem, concubitum immoderatum, motum viſcerum abdominalium ſuccuſſatorium, v. c. in curru haud penſili, ſed rotarum axibus incumbente, maxime in viis lapidoſis, ictum vel lapſum in abdomen, nimiam ſanguinis ex vena ſecta detractionem

nem, emetica, purgantia atque diuretica valentiora maxime in debilibus, aliaque nefanda conamina embryo ex utriculo excuti poteſt. Hoc ſi ante ſeptimum menſem fit, fetus abortivus, immaturus eſt, (ein unzeitiges Kind). *Hippocrates* ſect. V. aphor. XXXI. mulier, inquit, in utero gerens, ſecta vena, abortit, vid. *Chriſt. Vater.* diſſ. de abortu, Wittenb. MCXCVIII. *Andr. El. Büchneri* diſſ. num dentur medicamenta, quæ abortum ſimpliciter promoveant? Halæ Magd. MCCXLVI.

§. III.

Partus præcox.

Fetus menſe ſeptimo vel octavo excluſus, accedente ſollicita cura, vitam continuare poteſt, pro vitali haberi debet, atque fetus præmaturus vel præcox (ein frühzeitiges Kind) dicitur. *Hippocrates* in libro de natura pueri, ſi vis quædam, inquit, puero contingat, etiam ante præfinitum tempus, ruptis membranis, foras prodit. Quin etiam ſi alimento a matre prius deſtituatur; ſic quoque ante tempus matri partio ingruit, atque ante decimum (lunarem) menſem puer egreditur.

§. IV.

Vitæ principium.

Ovulum, poſt coitum prolifcrum, fecundatum, atque ex ovario expulſum, per tubam Fallopianam in utriculi cavitatem delabitur, hujusque ſuperficiei internæ floccidæ petiolo ſuo accreſcit, atque tunc inprimis embryonis rudimentis humorum circuitus, ſucceſſivumque illius ac ſecundarum incrementum orditur continuaturque, vel fetus,

per venam umbilicalem nutritus vivere incipit ac pergit, & denique, intra novem mensium solarium spatium, ad convenientem staturam excrescit. Recte oculatus *Bohnius* noster de officio Medici forensis, p. DCXXII. conceptus, inquit, humanus nunquam non animatus existit; proin se frustra torquent, qui terminum animationis quemcunque, post conceptum demum, sciscitantur.

§. V.

Embryonis incrementum. Circa prima sua initia fetus in ovulo distingui nequit. Dein capite comparative grandi & corpusculo parvo, nullis artubus adhucdum prædito, apparet. Postea, his pedetentim succrescentibus, corpus viresque ita augentur, ut liquori amnii innatans, circa medium gestationis tempus, motibus voluntariis, sensim auctis, existentiæ ac vitæ suæ documenta edat. Quo propior vero perfectioni suæ atque partui naturali fetus est; eo majorem vitæ continuandæ spem facit, vid. *Frid. Ruyschii* thesaur. anat. VI. tab. II. & III.

§. VI.

Veterum opinio. Præconceptam opinionem de vitæ in fetu initio, seu animatione, veteres, & quidem probabiliter ex Hipprocrate male intellecto, habuerunt. Hujus verba in libro de natura pueri textu XXX. extantia: femina (puppa) primam concretionem duobus & quadraginta diebus, cum longissime, accipit; mas vero triginta diebus, quod longissimum; non-

nonnulli de vitæ initio interpretati ſunt; cum tamen non niſi de prima concretione, vel ſucceſſiva corporis formatione, tum temporis ſufficienter in ſenſus cadente, ille ſermonem faciat, quod ſequentia ejus verba in eodem libro obvia ſatis declarant: caput ab humeris diſtans exoritur, brachia autem & cubiti a coſtis (lateribus) & crura inter ſe ſeparantur, nervique ad articulos proſiliunt, os per ſe diducitur, nares atque aures in carne eminent & perforantur, oculi humore puro implentur, pudendum, quodnam ſit, manifeſtum eſt, & viſcera ipſa conſpicuo diſcernuntur. Jam genitus eſt infans, eoque pervenit, ut primam concretionem accipiat, atque iſta diſtingui contingat. Quod autem femella poſterius concreſcat ac membrorum diſtinctionem recipiat, in cauſſa eſt ipſius genitura imbecillior & humidior, quam maſcula, eaque ratione femellam tardius, quam maſculum, concreſcere, neceſſe eſt.

§. VII.

Concluſiones non ſatis ponderatæ.

Ex hoc enumerato præjudicio feſtinatæ quædam concluſiones in jus eccleſiaſticum atque criminale irrepſiſſe videntur. In jure canonico Decret. pr. II. cauſſa XXXII. c. VIII. ſequentia occurrunt: non eſt homicida, qui abortum procurat, antequam anima corpori ſit infuſa. Decret. *Gregorii* l. V. tit. II. c. XX. qui abortioni cauſſam dat, homicidia eſt; ſi conceptum erat vivificatum animal rationale. In conſtitutione criminali *Caroli V.* art. CXXXIII. conſimilia extant: So jemand vorſetzlicher Weiſe

ein lebendig Kind abtreibt; soll der Thäter am Leben gestraft werden. So aber ein Kind, das noch nicht lebendig wäre, von einem Weibsbild getrieben würde; sollen die Urtheiler, der Strafe halben, bey den Rechtsverständigen, oder sonst, Raths pflegen.

§. VIII.

Abortus procuratio. Cum dolosa abortus procuratio per totum gestationis tempus, tanto magis autem, quo propior perfectioni suæ atque partui fetus est, secundum principia physiologica, futuri hominis spem eripiat; eam homicidii speciem esse, judico. Qui igitur caussas abortus, a Medico forensi investigandas atque in foro pronunciandas, dolose posuit, & sic embryonem vita privavit, atque sæpius etiam gravidæ nocuit, merita pœna afficiendus est. Quando abortus non dolose, sed culpose procuratur, nonnisi pœna extraordinaria locum habet.

§. IX.

Autores. Teste b. m. Dn. *Herm. Frid. Teichmeyer* in instit. med. legal. c. VIII. p. XLVII. distinctio in fetum animatum atque inanimatum medice & physice nullius momenti est. *Io. Bohnius* de offic. Medici forensis, p. DCLXXIV. abortum, inquit, concitatum fuisse, si fetus abactus major atque perfectior extiterit, satis commode cognoscitur: minoris tamen ac immaturioris, seu qui secundum, tertium &c., gestationis mensem nondum attigit, signa vix æque manifesta sunt, ac fru-

stra

ſtra indagantur. Conf. *Ge. Qu. Poeckelii* tr. de crimine partus abacti, Lipſ. DCLXXXIV. recuſus Halæ Magd. MDCCXLIX. *Mich. Alberti* diſſ. de noxia atque nefanda abortus promotione, Halæ Magd. MDCCXI. *Ejusd.* diſſ. de termino animationis fetus humani, ib. MDCCXXIV. *Mart. Gotth. Loeſcher.* diſſ. de judicio circa abortum concitatum ferendo, Wittenb. MDCCXXVI. *Geor. Aug. Langguth.* diſſ. de fetu ab ipſo conceptu animato, ad conſtitutionis criminalis Caroli V. art. CXXXIII. Wittenb. MDCCXLVII. *Jo. Frid. Kaltſchmidii* diſſ. de diſtinctione inter fetum animatum & non animatum ex medicina forenſi eliminanda, Jenæ MDCCXLVII. Dn. *Chriſt. Lud. Lieberkühn.* diſſ. de crimine procurati abortus, occaſione articuli C. C. C. V, Halæ Magd. MDCCLXXIII.

§. X.

Sequentes duo caſus abortus culpoſe procurati mihi in praxi clinica obvenerunt: empiricus permiſſu magiſtratus medicinam faciens, mulieri draſticum purgans propinaverat. Peracta vehemente operatione, mihi arceſſito ea narrabat: ſe vehementes dolores, ex lumbis genitalia verſus tendentes, ſentire; ex quo, illam gravidam eſſe, atque draſtici illius medicamenti vi abortum inſtare, augurabar. Gravidam ſe eſſe, illa quidem ſedulo negabat; ſed ante bihorium elapſum gemelli duorum circiter menſium abortiebantur. Mercatoris cujusdam uxor, non optimæ famæ, graviditatis ſigna præ ſe ferens, ex me, an ſibi *Caſus.*

larga

larga sanguinis missio utilis esset? quærebat. Asserenti, me nulla plethoræ, sed potius graviditatis, signa observare, nec illa, nec credulus maritus, fidem habuit, &, me misso, a scioli cujusdam pharmacopœi, magistratu indultupraxin clinicam exercentis, consiliis stetit. Hic, sententiam meam explodens, larga sanguinis missione, ad præcavendum morbum imminentem, utique opus esse, serio affirmavit; quam ad lipothymiam usque administratam, fetus abortivus trium mensium actutum secutus est, & ægra, damno edocta, sed respectu abortus sero, curæ meæ iterum sese credidit.

§. XI.

De gravida complice.

Si abortus, gravida scelus ignorante, ab alio dolose promovetur, in illam nec dolus, nec culpa recidit. At si hoc cum illius consensu patratum est; tunc merito pro correa habetur, justasque pœnas dat; & tanto magis, ubi sub corpusculi mortui sectione signa vitæ a partu, nefandis artibus effecto, actæ reperiuntur, & fetus neglectu aut violentia externa periit.

§. XII.

Licita embryonis protractio.

Si ob caussam morbosam, vel externam casu contingentem, placenta uterina ab utriculo avulsa est, ac gravidæ continua uteri hæmorrhagia periculum minatur, embryonem cum secundis arte quantocyus educere, quo uteri contractione periculosum sanguinis profluvium sistatur, obstetricantibus non solum licitum,

citum, sed etiam, vi officii, injunctum est. Embryonem mortuum, ne in utriculo retentus matri noceat, instrumentis concidere atque extrahere etiam concessum atque oppido necessarium est. At fetum vivum tali modo tractare, illicitum esse, arbitror; cum in partu, ob malam pelvis conformationem, nimiam ejus angustiam, aliasve caussas impossibili, ad fetus matrisque servationem alia auxilia suppetant; in quem censum sectio cæsarea, non adeo, ut vulgo creditur, periculosa, vel ossium pubis dissectio, a cel. Dn. *Campero* proposita, novoque exemplo apud Gallos habito, comprobata, veniunt.

§. XIII.

Autores.

De pædoctonia, ut ajunt, ad salvandam matrem licita, atque de utraque operatione modo enumerata, sententiam suam plures autores proposuerunt; quorum nonnullos, historiæ caussa citaturus sum. *Franc. Roseti* tr. de exsectione fetus vivi ex matre viva, sine alterutrius vitæ periculo, Basil. MDCXCI. recusus Francof. MDCCI. *Christ. Conr. Valentini* diss. an fetui vim inferre liceat? ut servetur mater, Giessæ MDCCXX. *Jo. Conr. Beckeri* diss. de prædoctonia inculpata, ad servandam matrem, ib. MDCCXXIX. *Conallus a Connel* de operationis cæsareæ necessitate ac possibilitate in partu desperato, Lugd. Bat. MDCCLI. Cel. Dn. *Phil. Adolphi Boehmeri* diss. de caussis infanticidii impunis, Halæ Magd. MDCCLXXI. Cel. Dni *Camperi* epistola ad Dn. *van Gescher* de emolumentis sectionis synchondroseos

ſeos oſſium pubis, in partu difficili, Grœningæ MDCCLXXIV. *Jo. Hippol. v. Chandon* diſſ. ergo in omni partu prægnantis vitam ſervare poterit obſtetricans expertus, Montpel. MDCCLXXVI.

§. XIV.

Partus clandeſt. excuſationes. Partum clandeſtinum graviditatis ignoratione, ſubitaneo in locis ſolis dolorum ad partum ſubortu, lipothymia ſtatim a partu contingente, fetusque curam impediente, quin & hujus curæ ignoratione, feminæ excuſare ſolent. Licet hæ excuſationes ut plurimum fictæ ſint, quod accuratiore totius caſus inveſtigatione judices ſæpius detegere poſſunt: Attamen, pro ſubjectorum atque connexorum conditione ac diverſitate, harum excuſationum una vel altera utique interdum locum habere poteſt.

§. XV.

Graviditatis ignoratio. Graviditatis ignorationem femina, admiſſi viri ſibi conſcia, malæque famæ reſpectu pudicitiæ, aut quæ partum jam antea edidit, prætendere nequit. Ubi vero primipara, congreſſus tempore, valde ebria, aut morbo cum mentis alienatione conjuncto affecta, aut pharmaco narcotico ſopita fuit; ignoratæ impprægnationis atque graviditatis excuſatio locum invenit. Puellæ annum XVI. agentis, ſemine daturæ in cerevisia probabiliter exhibito ſopitæ, atque imprægnatæ exemplum Dn. *Mich. Alberti*

berti in jurisprudentia medica practica, p. CXCIV. casu XX. proposuit.

§. XVI.

Partus in loco solo.

Dolores ad partum sæpius parturas subito invadere, vero consentaneum est, & ubi gravida, brevi ante partum casu vel itineris necessitate in locum solum delata, fetum debilem statim a partu fatis cedentem, vel mortuum, edidit; tunc auxilium aliorum invocare, in potestate ejus positum non fuit. Sed longe alia diversissimaque res est, ubi gravida, orientibus ad partum doloribus, hominum præsentiam fugit, atque data opera locum solum quæsivit; tunc enim dolose egit, & hæc excusatio nullam attentionem meretur; idque tanto magis, cum congressum cum viro atque graviditatem ante dolose ac pertinaciter negaverit.

§. XVII.

Mentis eclipsis.

Feminas debiles, post partum difficilem, perpessumque magnum sanguinis profluvium, lipothymiis corripi, atque si, præter dolum solæ sunt, recens nati curam; durante animi deliquio, suscipere non posse, exemplis constitit. Sed respectu feminarum robustarum, maxime in partu facili, hæc excusatio minime probabilis est.

§. XVIII.

Neglectus.

Denique non in feminis versutis & partum antea jam enixis, sed in primiparis stupidis, nec non in mente captis, curationis recens nati ignoratio excusa-

tionem

tionem verosimilem præbet. *Jo. Bohnius* de infanticidio, p. CXCI. recens, inquit, natis exitium regiminis necessarii neglectus non raro adfert, si mucus ex faucibus non eximitur, a quo solo quandoque suffocantur, si aqua tepida non abluti, & integumentis non involuti, aëris injuriis exponuntur; brevi ab hujus rigore necantur.

§. XIX.

Puerperii recentis signa.

Si infans recens natus mortuus vel vivus expositus invenitur, in feminam, quæ graviditatis signa præ se antea tulit, cujusque venter subito detumuit, inquisitio omnino locum habet. Ubi igitur lac in ejus mammis tumidis durisque, abdomen flaccidum atque rugosum, internum utriculi orificium hians, vagina ampla, hujusque orificium plus solito dilatatum, atque lochiorum fluxus inventa fuerunt; hæc indubia puerperii haud ita pridem peracti signa justam ulteriori inquisitioni occasionem præbent. *Io. Bohnius* de offic. Medici forensis, c. IV. p. DLXXXVI. partus, inquit, recens peractus investiganti artis perito latere nequit. *Idem* pag. DCLXXIII. primis, ait, decem diebus partus factus per lochiorum profluvium, genitalium habitudinem, atque mammarum a lacte turgescentium &c. facile observatur. Conf. *Mich. Alberti* diss. de lactis præsentia in innuptis suspecta, Halæ Magd. In constitutione criminali *Caroli V.* artic. XXXVI. respectu hujus inquisitionis sequentia præcepta sunt: Wenn das Kind kürzlich ertödet worden, und der Mutter die Milch in den Brüsten noch nicht

nicht vergangen ist, die mag an ihren Brüsten gemolken werden. Bey welcher dann in den Brüsten rechte vollkommene Milch erfunden wird, die hat deßhalben eine starke Vermuthung peinlicher Frage wider sich.

§. XX.

Olim peracti.

Pleraque partus peracti signa temporis successu evanescunt, atque etiam ex remanentibus, v. c. vaginæ dilatatione, nec non aliquali abdominis mammarumque flacciditate, certum quid, saltim respectu casus cujusdam dati, statui haud potest. *Jo. Bohnius* l. c. elapso aliquo tempore, partus peractus frustra investigatur. Olim tale quid factum fuisse, per conjecturas medicas asserere, vix semper conceditur. Hypogastrii flacciditas, atque vaginæ amplitudo, in eo casu tantum alicujus momenti indicium est, ubi, quem dissimulat, partus primus censetur. Conf. Dni *Io. Wilh. Moelleri* diss. exhibens criteria partus olim enixi diagnostica, Gœttingæ MDCCLXXII.

§. XIII.

Corpusculi mortui inspectio.

In inventi recens nati corpusculum mortuum inspectione atque sectione legali ideo studiose inquirendum est, ut, an mortuus, vel vivus in lucem editus, & in posteriore casu an morbo defunctus, vel occisus, & quomodo homicidium peractum sit? pateat, vid. *Ben. Ewald.* diss. an fetus humanus vivus aut mortuus natus sit? Regiom. MDCCXVI *Abr. Vateri*

teri diss. de valore & sufficientia signorum, infantem recens natum vivum aut mortuum editum, arguentium; ad dijudicandum infanticidium, Wittenb. MDCCXXXV. Dn. *Adolphi* diss. de infanticidii notis sectione legali detegendis, Helmst. MDCCLXIV. Hrn. Peter Campers Abh. von den Kennzeichen des Lebens und des Todes bey neugebohrnen Kindern; ex idiomate batavico in germanicum translata, Francof. MDCCLXXVII.

Schol. Fetum mortuum post plures menses & ultra demum reperiri, quandoque accidit, & tunc nil, nisi ut ex ossium conditione ætas illius colligatur, reliquum est; cum, fetus ossa singulis mensibus mutationem subire, anatomicis notum sit, vid. Dni *Bernh. Siegf. Albini* osteogenia, Lugd. Bat. — —. Dn. *Phil. Adol. Boehmeri* osteologia, Halæ Magd. MDCCLI. Dni *Wilh. Christ. Hoffmann.* disquisitio medico-forensis de ossibus fetus, quatenus in casu suspecti infanticidii, ætati ejusdem determinandæ inserviunt, Lips. MDCCLI.

§. XXII.

Fetus mortui editi signa.

Fetus mortuus inventus abortivi, vel præmaturi, signa præ se ferens, justa statura non gaudet, sed parvulus ac quandoque rugosus est, capilli atque ungues non satis excreti sunt, ac placenta ejusque funiculus vitiosa sunt: aut si fetus ad legitimam staturam excretus, vel tali propius accedens, brevi post partum inventus, manifesta putredine correptus est, cuticula secedit, cutis hinc inde, sine violentæ læsionis

notis

notis livescit, fontanella, sine depressionis, signis, solito latius dehiscens, subsedit, funiculus umbilicalis cum placenta marcidus ac putridus est; fetum mortuum partu editum esse, satis declarant, vid. *Mich. Alberti* diss. de fetu mortuo, Halæ Magd. MDCCXXIX. *Geor. Aug. Langguth.* prol. acad. qua embryo trium cum dimidio mensium, abortu rejectus, qua faciem externam describitur, Wittenb.

Obs. Fetus mortuus subinde diu, v. c. plures hebdomades, menses, quin nonnullos annos, in utriculo retineri potest, ibique, aëre externo excluso, tardius, certo tamen, putrescit, febrique, tandem in habitualem degeneranti, occasionem præbet, ac postea sponte editus, vel arte protractus, pro moræ diversitate, minora majorave putredinis signa ostendit. Hujus rei notabilis casus, fetus scilicet altero demum anno editi, putridissimi, subsequentibus lochiis fœtidissimis, illoque arte excluso, matris a febre habituali sensim curatæ, in praxi clinica mihi occurrit.

§. XXIII.

Vivi editi signa.

Si recens nati mortui corpusculum justa statura gaudet, & capilli atque ungues debite excreti sunt, nutritionem usque ad consuetum partus tempus continuatam fuisse, intelligimus. Ubi, præter hæc, actionum vitalium a partu quodammodo vel plenarie peractarum signa sectione legali deteguntur; tunc in mortis caussas inquirendum, atque, an morte naturali obierit, vel vi necatus sit? dispiciendum est. Tam

actionum vitalium a partu peractarum signa, quam varios recens natos occidendi modos a scelestis adhiberi solitos in subsequentibus speciatim considerabimus, vid. *Christ. Vater.* diss. de signis infanticidii diagnosticis, Wittenb. MDCCXXII. *Abr. Vater.* diss. de valore & sufficientia signorum, infantem recens natum vivum, aut mortuum, editum esse, arguentium; ad dijudicandum infanticidium, Wittenb. MDCCXXXV. *Io. Henr. Wolfarth.* diss. de infanticidio doloso ejusque speciebus, Francof. MDCCL.

§. XXIV.

Actionum vital. signa. Actionum vitalium, circuli humorum ac respirationis, a partu peractarum in corpusculo fetus mortuo præsentia vel absentia certissimæ partus vivi, vel mortui notæ sunt: ergo, præter staturæ atque putredinis considerationem, in has, sub sectione legali quam accuratissime inquirendum, atque de vitæ fetus post partum præsentia vel absentia certi quid statuendum, atque in foro pronunciandum est.

§. XXV.

Suggillationes. In locis vivi hominis externa vi vehementer compressis, vexatis, laceratis vulneratisque sanguis notabili copia effusus, atque inter integumentorum communium, pericranii, carniumque fibras ac cellulas, meninges, atque cavitates stagnans, coagulans, quin & fibræ laceratæ vasaque rupta, ut & stigmata profundiora instrumento tenui acuto in encephalo l. medulla spinali facta, reperiuntur;

tur; id quod, læsionis tempore, humorum circuitum, adeoque vitam adfuisse, indicio est. Læsiones autem corpori mortuo inflictæ, ob circuli sanguinis defectum, ejusmodi suggillationibus stipatæ non sunt, vid. Dn. *Henr. Frid. Delii* diss. de suggillatione, quatenus infanticidii indicium est, Erlangæ MDCCLI.

§. XXVI.

Teste *Jo. Bohnio* in tr. de *Testimonia*. infanticidio pag. CLXXXVI. violentiæ vestigia in cadaverulis observata ideo suspecta sunt, quod nullæ ex vasis capillaribus profusiones, atque integumentorum suggillationes, nisi in vivo nato, concipi possunt; quamvis, an sub gravioribus partus difficilioris conatibus, an post partum a matre truculenta, tale quid factum sit? haud semper determinari queat; b. m. Dn. *Chr. Gottl. Ludwig.* in instit. med. for. §. CCLXIX. nisi, inquit, inter piam meningem, cerebri hemisphæria, atque in hujus ventriculis & calvariæ basi sanguis vel copiosum serum sanguinolentum hæreat; ex seri sanguinolenti sub cranio & dura meninge absoluta lethalitas asseri nequit. Sanguis copiosus sub calva in illis locis hærens, ubi in adultis modiolo applicato removeri solet, excusationem non admittit; cum in recens natis chirurgicum hoc auxilium adhiberi nequeat. *Idem autor* l. c. §. CCLXX. ait: instrumento acuto, e. g. acu magna in fontanellam aliumve cranii locum adacta, stigmata relinquuntur, in quorum progressum sollicite inquirendum est; hac enim læsiones violentæ caussa præsente, parva area

sanguinolenta illi circumdata certum absolutæ lethalitatis indicium est.

§. XXVII.

Maculæ & ecchymoses. Cum suggillationibus, fibrarum ac vasculorum laceratione conjunctis, copiosaque humorum effusione, maculæ rubræ, virides ac nigræ, ut putredinis signa in corporibus inprimis apoplexia, vel febre acuta maligna extinctis comparentes, nec non suggillationes atque humorum sub integumentis, vel cranio ecchymoses in capite, facie, oculis, sub partu difficili, ab obliquo uteri vel capitis infantilis situ, vel rudiore manuum obstetricantis, vel instrumentorum, applicatione ortæ, minime confundendæ sunt; quin ab ultima caussa etiam fibrarum vasculorumve lacerationes cum suggillatione conjunctæ esse possunt. In fetibus, ab hac caussa sub partu difficili mortuis factæ, respirationis aliarumque violentarum læsionum externarum, notæ desunt.

§. XXVIII.

Testimonia. Dn. *Iohannes van Horn* in der durch Fragen und Antworten treulich unterweisenden Wehmutter, pr. II. c. V. quæstione III. & V. inquit: Wenn bey dem Schiefliegen der Gebährmutter nicht zu rechter Zeit geholfen wird; zwingen die Wehen das Kind mit dem Kopf auf das Schoosbein, und der zarte Kopf des Kinds kan sowohl durch die harte Knochen des Beckens, als auch durch das Drücken der Wehmutter, bey dem Niederhelfen des Kopfs von dem Schoosbein, leicht verletzt werden.

werden. Dn. *Christ. Gottl. Ludwig.* l. c. §. CCLXIX. ossium cranii, inquit, color rubicundus, atque seri sanguinolenti sub his ac dura meninge effusio, aliqualem quidem illatæ violentiæ suspicionem movent; sed nec caussam satis certo indicant, nec lethales effectus dici possunt; cum in partu difficili prope semper eveniant, & discussio in tenera ætate fieri potuerit. In neonatorum capitibus tumorem, faciei atque extremitatum livorem quandoque deprehendi Dn. *Ge. Albr. Fried.* in fundamentis artis obstetricandi, l. V. c. II. §§. DLXXVII. DLXXXVIII. Faciei atque capiti fetus a genitalibus, manu atque instrumentis contusiones induci posse, b. m. Dn. *Jo. Geor. Roederer* in elementis artis obstetricandi, §. CCCCVIII. testati sunt.

§. XXIX.

Ex obstetricis inscitia, femina primipara ultra diem tertium jam partibus doloribus in cassum laboraverat. Quarto die Medicus artis obstetricandi peritus arcessitus, fetus frontem ossibus pubis tam arcte impactam deprehendit, ut forcipe haud deducere posset; operosa igitur ejus versione fetum mortuum, & postea secundas ab utero modeste separatas, produxit. Os frontis in fetu totum, inprimis tamen in latere sinistro, tuber, suggillatum, livescenteque colore tinctum erat. Sequentibus diebus puerpera vehemente febre symptomatica laboravit, &, remediis sine salutari effectu adhibitis, ex uteri inflammatione male judicata, die a partu sexta decessit. Non solum embryonis caput, sed etiam ipsum uterum adeo vehemente diuturnaque compressione gravissima *Casus.*

inflammatione affecta fuisse, haud difficulter concipi potest.

§. XXX.

Vasorum plenitudo. Sub legali corpusculi mortui sectione, an cordis cava, vasa venosa majora, v. c. cava cum suis radicibus majoribus, pulmonalis, portarum cum suis radicibus atque duræ meningis sinus piæ meningis venæ sanguinem contineant, nec ne? sollicite scrutandum est, vid. b. m. Dn. *Laur. Heister*, diss. de summe necessaria cordis vasorumque majorum inspectione, sub legali infantum sectione, Helmst. MDCCLII. In dictis vasis, si fetus mortuus editus fuit, partim major, partim minor cruoris copia conspicitur. In fetu ante partum mortuo Dn. *Roederer* in capite multum, in thorace minus, in abdomine minimum, in extremitatibus nihil sanguinis invenit, vid. *ejus* satura de suffocatis, p. XLII.

§. XXXI.

Eorum vacuitas. Ubi vero dicta sanguinis receptacula atque canales cruore vacua inveniuntur; sanguinem ex funiculi umbilicalis abrupti vel discissi, nec ligati, vel vulnere quodam facto, effluxisse, vel in cavum aliquod penetrasse, adeoque sanguinis circuitum vitamque a partu adfuisse, clarum est. Attamen, sub cordis atque pulmonum exemtione, illius vasa majora antea liganda sunt; ne, sanguine in thoracis cavum effuso, a secantibus subreptionis vitium committatur.

Schol. Quin & vestes, quibus recens nati involuti fuerunt, & locus, in quo jacuerunt, con-

considéranda sunt, ut, an cruore commaculatæ sint, nec ne? constet, actisque inseratur. *Jo. Bohnius* in tr. de infanticidio, pag. CLXXXV. sanguinem, inquit, per arterias umbilicales apertas promanasse, cognoscimus; si, præter investigatam vasorum majorum vacuitatem linteamina, quibus recens natus involutus, vel locus, in quo repertus, multum cruoris effusi ostendunt.

§. XXXII.

Funic. umbil. deligatio.

Ex funiculo umbilicali cum placenta adhuc cohærente hæmorrhagia lethalis contingere nequit: nec eam ex illo longo, complicato atque in loco frigido contigisse, exemplis constitit. Ubi vero proxime ad umbilicum, vel ab hoc non nisi aliquot pollicum distantia, resecatur, vel abrumpitur, ex arteriis umbilicalibus in homine majoribus, quam in brutis, illum præterea masticando separantibus, lethale sanguinis profluvium, suffragante experientia, accidere solet; quin hoc etiam contingit, si nimis laxe ligatus est; cujus culpæ haud ita pridem exemplum mihi relatum est. Dicti funiculi solutio vel secundum artis regulas, vel casu, fit. Parturientibus sub fetus exclusione stantibus, sibique solis relictis, fetum cum impetu exturbatum funiculum umbilicalem dilacerasse, usus extra dubitationis aleam posuit, vid. *Jo. Bohnius* in tr. de infanticidio, pag. CLXXXVI. Ceteroquin nihil certi ex omissa funiculi deligatione concludi potest, sed ante omnia in sinuum venosorum atque venarum majorem vacuitatem studiose inquirendum est;

tunc enim, non autem alio modo, lethalem ex eo hæmorrhagiam accidiſſe, ſtabilire poſſumus.

§. XXXIII.

Autores. Quod funiculum umbilicalem deligandi neceſſitatem attinet, ab autoribus in diverſas ſententias, mimirum affirmantium ac negantium, itum eſt; quorum nonnullos jam citaturus ſum; a quorum ceteroquin ſententia ſtem, a me jam ſatis declaratum eſſe, arbitror, vid. *Jo. Zelleri* diſſ. de funiculo umbilicali humano, eumque ligandi neceſſitate, Tubingæ MDCXCII. *Mich. Alberti* diſſ. de funiculi umbilicalis neglecta obligatione, in cauſſa infanticidii limitanda, Halæ Magd. MDCCXXXI. *Jo. Henr. Schulze* diſſ. an umbilici deligatio in nuper natis abſolute neceſſaria? ibid. MDCCXXXIII. Dni *Elleri* obſervationes de neglecta funiculi umbilicalis deligatione non lethali, in commerc. literar. Norimb. MDCCXXXIII. p. CCCLXXVII. *Petri Chriſtoph. Burckmann.* epiſtola de quæſtione, num intermiſſa funiculi umbilicalis deligatio infanti recens nato ſola mortem afferre queat? Roſtochii MDCCXXXIV. *Phil. Adolph. Boehmer.* diſſ. de neceſſaria funiculi umbilicalis, vi ſtructuræ vaſorum, in nuper natis deligatione, Halæ Magd. MDCCXLVI. *Chriſt. Iac. Treu* epiſtola de fetu, cujus funiculus umbilicalis non deligatur, nec ſanguis multus inde effuſus fuit, Norimb. *Chriſtoph. Lud. Schœl.* diſſ. de funiculi umbilicalis deligatione non abſolute neceſſaria, Gœttingæ MDCCLV. *Car. Frid. Kaltſchmied* progr. de intermiſſa funiculi umbilicalis poſt partum deligatione non abſolute neceſ-

ſaria,

ſaria, Jen. MDCCLVII. *Phil. Fiſcheri* diſſ. an funiculi umbilicalis deligatio abſolute neceſſaria ſit? Ingolſt. MDCCLXXVII.

§. XXXIV.

Vaſorum depletio.

Si in corpuſculo recens nati mortuo funiculus umbilicalis haud ligatus, vel vulnus, per quod hæmorrhagia lethalis contingere potuit, deprehenditur; in vaſorum repletionem vel vacuitatem ſtudioſe inquirendum eſſe, modo monuimus. Cum autem in morientibus, ob arteriarum ſyſtolen, in ſinus venoſos atque venas majores maxima ſanguinis pars urgeatur; horum potiſſima ratio habenda eſt: ergo duræ meningis ſinus diſſecandi, venæ piæ meningis conſiderandæ, an turgeant, vel collapſæ ſint? cordis ventriculi, auriculæ, ſinus venæ cavæ atque pulmonalis, ipſa cava, venæ ſubclaviæ, jugulares, vena portarum, hujusque radices aperiendæ, atque an vacuæ, vel conſuetam in mortuis copiam cruoris contineant, nec ne? videndum eſt. Demonſtrato autem ex viſis in corpore mortuo ſanguinis defectu, hæmorrhagiam lethalem ex funiculo umbilicali non ligato, aut vulnere, accidiſſe, recte colligimus.

Obſ. In praxi forenſi tres caſus habui, ubi, funiculo umbilicali haud deligato, in receptaculis atque venis majoribus conſueta cruoris copia adfuit; ex qua, aliis ſignis concurrentibus, eos partu mortuos editos fuiſſe, a me pronunciatum eſt.

§. XXXV.

Funiculi ſub partu compreſſio.

Quando in partu difficili funiculus umbilicalis capiti, vel collo fetus

fetus circumvolutus est, vel in agripparum partu diutius comprimitur; ex arteriis umbilicalibus sanguis placentæ atque utero continue advehitur, & per compressam venam umbilicalem ad fetum revehi nequit; tunc in hujus corpusculo vasorum vacuitas, idemque effectus, ac si hæmorrhagia lethalis accidisset, oritur. Hanc ob caussam, funiculum irretitum expedire, atque agripparum partum accelerare, obstetricantium est. Ubi igitur in fetu mortuo partu clandestino edito, sine aliis læsionum notis, vasorum vacuitas reperitur; an ejusmodi quid contigerit? investigandum est.

§. XXXVI.

Pulm. densitas l. expans. Si pulmones densi, versus dorsum retracti, colore rubeo præditi, nec expansi sunt, ac pericardium a pulmone sinistro haud tectum est, sed nudum conspicitur; tunc in fetu nullam a partu respirationem adfuisse, pro certo scire atque affirmare possumus. Ubi vero uterque pulmo expansus pectoris cavitates replevit, atque a superiore sinistri parte pericardium suo modo tectum est; tunc fetum a partu respirasse, adeoque vixisse, certum, ac reliquis vitæ ab illo peractæ congruum est. Si quædam unius alteriusve pulmonis pars, collapsis reliquis, tantum extensa est, tunc nonnisi debilem respirationem talemque vitam a partu adfuisse, vel arte aliquid aëris in pulmones inflatum esse, colligimus.

Schol. Quandoque fit, ut, ad fetus non respirantes excitandos, aër in pulmones, succedente vel irrito conatu atque effectu infletur, & sic pulmones ex parte extendantur, atque an ejusmodi

modi quid contigerit? a Medico forensi sciscitandum, & ab affirmantibus probandum est.

§. XVXVII.

Cum pulmones densi contractique aqua specifice graviores, aëre autem repleti atque expansi illa specifice leviores sint; in priori casu in illa subsident, in posteriore eidem innatant. Ut igitur de respiratione a partu peracta, vel non facta, Medici forenses judicium ferre queant, in vas amplum satisque altum, aqua pura repletum, pulmonem cum corde connexo injiciunt, atque ad eorum natationem vel subsidentiam animum attentum adferunt. Dein utrumque pulmonum lobum a corde separatum eidem aquæ immittunt, ac denique resecta eorum frustula in illam injiciunt, atque an natent, nec ne? observare satagunt. Experimentum hoc pulmonibus recentibus institutum indubium est; densi enim pulmones, plumbi instar, cito fundum petunt; sed aëre expansi aquæ innatant. Quæ autem in experimento hoc capiendo cautelæ atque exceptiones locum habeant, in sequentibus indicaturus sum.

Pulmonum natatio l. subsidentia.

§. XXXVIII.

Dubium, quod ex fetuum, post membranarum rupturam atque aquarum effluxum, respiratione in utero, vel sub ipso partu contingente, nonnulli in medium afferre solent, admitti nequit, nec ullius momenti est; cum sine thoracis, ab utero arcte compressi, expansione nullus respirationi locus sit, vid. *Io. Ioach. Schæpferi* diss. de pulmone infan-

Dubium.

infantis natante ac subsidente, Rostoch. MDCCV. *Car. Frid. Kaltschmid.* diss. de experimento pulmonum infantis aquæ injectorum, Jenæ MDCCLI. cel. Dn. *Casim. Christ. Schmiedel.* diss. de pulmonibus natantibus, Erlangæ.

Schol. Primum experimentum de pulmonum natatione ac subsidentia a Dno *D. Schreyer*, Cizensium Physico MDCLXXXI. captum, atque dein ab aliis imitatum est, vid. b. m. Dni *Christ. Thomasii* Gedanken und Erzehlungen über allerhand juristische Händel, vol. I. §. VI. Halle 1723.

§. XXXIX.

Pulmonum scirrhi. Quidam, documento a scirrhosis adultorum pulmonibus, in aqua subsidentibus sumto, etiam recens natorum pulmones scirrhosos, facta etiam a partu respiratione, in ea fundum petere posse, asserunt. Sed perperam hoc assumtum esse, judico; cum ob deficientem in non natis circulum sanguinis minorem, sanguinis stases, inflammationes, atque ex his scirrhi oriundi, in fetuum pulmonibus locum non habeat, & paucus per arterias bronchiales allatus sanguis partim pulmonum nutritioni impendendus, atque ab hac residuus per venas bronchiales venæ cavæ, intercostali superiori sinistræ, vel venæ sine pari, reddendus sit. Me, in plurium recens natorum dissectione, nunquam aliquod scirrhi vestigium invenisse, pro certo affirmare possum: in qua re cel. Dn. *D. Buttnerum* consentientem habeo, qui se in LXX. infantum mortuorum dissectione nullos unquam scirrhos aut ulcera invenisse testatus est, vid. *ejus* Anweisung, wie durch anzu-

anzustellende Besichtigungen ein verübter Kindermord auszumitteln sey, Königsberg 1770.

§. XL.

Pulm. putrescentes.

Cum pulmones putredine correpti, ob aërem per putrefactionem in iis evolutum, specifice leviores fiant, fetuum abortivorum, præcocium atque maturorum, sine vita editorum pulmones illa affecti, sicut tota animalium corpora in tali statu existentia, aquæ innatant. Putredine vero transacta, atque aëre abacto, iterum specifice graviores fientes, in aqua fundum petunt: ergo experimentum recentibus pulmonibus, vel post peractam putredinem institutum, ad illos, qui putrescere incipiunt, atque continuant, minime applicabile est. Hoc contra b. m Dn. *Hebenstreit.*, virum ceteroquin meritissimum, monendum esse, duco, ne illius autoritate Medici juvenes seducantur. Hic in anthropologia forensi p. CCCCVI. fetuum humanorum in utero mortuorum pulmones, ad summum putredinis gradum data opera provectos, in aqua semper demersos fuisse, recte quidem asseruit; sed, perpetuam experimenti pulmonibus facti veritatem inde deducere, perperam conatus est.

§. XLI.

Autores.

De experimento recens natorum pulmonibus instituendo sententiam suam scriptorum plures proposuerunt, ex quibus sequentes jam citasse, satis sit: *Mich. Alberti* diss. de pulmonum subsidentium experimenti prudente applicatione, Halæ Magdeb. MDCCXXVIII. *Jo. Henr. Geelhaussen* diss. de pulmoni-

monibus non natorum aquæ innatantibus, Pragæ MDCCXXVIII. *Laur. Heister.* progr. quo ostendit, ex pulmonis fetus innatatione vel submersione in aqua nullum certum infanticidii signum desumi posse, Helmst. MDCCXXII. *Ejusd.* diss. de fallaci pulmonum infantis experimento, ib. MDCCXXII. *Carl. Frid. Kaltschmied* progr. de experimento pulmonum infantis aquæ injectorum, dextro eorum lobo aquæ supernatante, sinistro fundum petente, Jenæ MDCCLI. Joh. Jac. Ludw. Nyders Abhandlung, ob, wann, und wie das Experiment von dem Obenschwimmen der Lunge 2c. und die nicht unterbundene Nabelschnur todter Kinder in rechtlicher Folge zu beurtheilen sey, 1768.

§. XLII.

Casus. Ante nonnullos annos in corpusculum recens nati, nulla læsionis externæ signa, sed putredinis incipientis notas habentis, sectione legali inquisivi. Licet funiculus umbilicalis nonnisi tres ab umbilico pollices abruptus, nec ligatus esset; sinus tamen duræ meningis ac vasa venosa majora, inprimis in capite ac pectore, multum cruoris continebant. Pulmones colore roseo præditi, compacti ac dorsum versus contracti, atque pericardium corde tumens cum thymo nullibi a pulmone sinistro textum, statim, thorace aperto, conspectui exponebantur. Pulmones cum corde provide exemti toti, atque in minores partes concisi aquæ puræ in labro ligneo contentæ, experimento etiam aliquoties repetito, semper innatabant. Ante nonnullas septimanas partum septimestrem, altero post partum die, nulla putredinis signa

præ

præ se ferentem, cultro anatomico dissecans, omnia partus mortui signa deprehendi, & pulmones densi, colore saturate rubro tincti, in aqua non adeo multa promtissime vasis fundum petebant.

§. XLIII.

Autorum testimonia.

Dn. *Beyerus*, Prof. Wittenb. in delineatione juris criminalis secundum constit. crim. *Caroli V.* pulmonum explorationem quidem probat; at simul monet, in hoc experimento caute procedendum, atque dispiciendum esse, an corpus mortuum adhuc recens sit? Quando enim putredine pulmones resolvi inciperent; licet extrinsecus aërem non hauserint, in aqua tamen eminerent; id quod ideo fieret, quod putrefactio in pulmonibus sponte orta aërem in mediis ejus penetralibus liberaret. Teste *Frid. Hoffmanno* in medic. consult. l. IV. dec. XIV. p. CLV. embryonum ante partum defunctorum ac putredine correptorum pulmones aqua specifice leviores facti huic innatant. *Mich. Alberti* in jurisprud. med. pr. I. pag. CLXXXVIII. inquit: quando experimentum hoc suscipitur, tunc pulmones putredine minime affecti esse debent; quoniam hæc corruptio, etiamsi minor fuerit, multas turbas dat, partes relaxat, aëris ingressui ansam præbet, & hujus experimenti fidem subinde corrumpit.

§. XLIV.

Ulteriora.

Dn. *Jo. Bohnius* in tr. de infanticidio, p. CLXXV. non adeo fidum, inquit, erit hoc fluctuationis & subsidentiæ pulmonum experimentum, si putredine, jam dum

in cadavere inchoata, illud tentetur; dum per hanc ejus, qui nondum respiravit ac mortuus natus pulmones forsan ad fluctuationem eo usque immutari ac disponi possunt, mediante scilicet rarefactione illa, quam putredo cadaveribus cunctis, horumque membris mollioribus præstat; ut, quæ horum aliquamdiu in aquarum profundo hæserant, temporis tractu in earum sublime ferri, hisque supernatare, in vulgus enotescat. Qualem putredinem tamen, quia cunctis natorum cadaveribus haud parem concedo; nec eundem ejus semper effectum facile largior. *Idem* de offic. Medici forens. p. DCLXV. minus, ait, tutum erit subsidentiæ atque innatationis pulmonum experimentum, ubi putredinem jam sustinuit cadaver. Ejus, qui nondum respiravit, pulmones ad fluctuationem super aquam disponi possunt mediante scilicet rarefactione illa, quam cadaveribus illorumque membris putredo præstat; ut quæ eorum aliquamdiu in aquarum profundis hactenus hæserant, postmodum in earum sublime ferantur, atque his supernatent. Dn. *Phil. Conr. Fabricius* in den Sammlungen medicinischer Responsorum und Sections-Berichte, Helmstädt, pulmones in aqua, intra quam putrefacti sunt, elevari, & tandem summum putredinis gradum affecutos iterum in aqua mergi, observavit.

§. XLV.

Consimilia.

In infante, præsentibus testibus mortuo in lucem edito, atque putredine jam correpto, Dn. *Boselius* pulmones vesiculis exiguis obsitos deprehendit, qui aquæ injecti ei innatabant; sed quædam intimæ substantiæ

ſtantiæ nullis veſiculis contaminatæ portiones exciſæ, plumbi inſtar, fundum petebant. Conf. commerc. liter. Nor. MDCCXXXIV. pag. III. *Jo. Bapt. Morgagnus* de ſedib. & cauſſis morb. l. II. ep. XIX. art. XLVII. cum pulmonem, ait, haud bene conſtitutum, ſed putredine infectum, deprehenderimus, etiamſi in aqua natet; non propter ea, fetum eſſe vivum natum, pronunciabimus. Dn. *Chriſt. Frid. Jäger* in diſſ. obſervationes de fetibus recens natis, jam in utero mortuis & putridis cum epicriſi ſiſtente, Tubingæ MDCCLXVII. pulmones, inquit, ex fetu valde putrido deſumti ſtatim aquæ innatarunt. Sub membrana ſua extima in minimis veſiculis aërem mobilem, digitis cedentem, recluſum habuerunt, quo per inciſionem ac compreſſionem emiſſo, mox mergebantur.

§. XLVI.

Vita ſine reſpiratione.

Licet recens natum haud ſpiraſſe, ſignis conſtiterit; inde tamen eum mortuum editum eſſe, ſine aliarum notarum collatione, pro certo affirmari nequit; nam fetus in lucem recens editos aliquamdiu ſine reſpiratione vivere poſſe, ex peculiari illorum ſtructura atque experientia notum eſt. In illis enim ſanguinis circuitus, quo in utero gaviſi ſunt, per foramen ovale inter utroſque ſinus venoſos, atque canalem arterioſum Botalli, inter arteriam pulmonalem atque aortam, etiam quodammodo a partu perfici, adeoque vita adeſſe poteſt. Hanc ob cauſſam recens natum mortuum viſum, mucum ex ore removendo, aërem per os inflando, naribus

irritantia admovendo &c. recto ac sæpius felici conamine excitare studēnt. Ut igitur, factæ respirationis signis etiam absentibus, in notas circuli sanguinis a partu facti studiose inquiratur, necesse est.

§. XLVII.

Casus. Duas ex coitu illicito a diversis matribus enixas puellas, ab his vivas pannis obvolutas, atque in terram defossas, humo atque spicarum mergitibus coopertas, post aliquot tamen horas singulari fato viventes iterum erutas, se accepisse, *Joan. Bohnius* in tr. de offic. Medici forensis, p. DCLXVII. testatus est.

§. XLVIII.

Infantum suffocatio. Licet recens natorum suffocatio, ob sanguinis circuitum etiam sine respiratione aliquamdiu continuatum, tardius, quam in adultis, contingat, illique ex caussis morbosis atque aëris frigidi injuriis catarrho suffocativo facile corripiantur; attamen dolosa eorum suffocatio locum habet, in cujus signa atque caussas, in casibus obviis, studiose inquirendum est.

Obs. Infantem unius mensis, ex matris incuria, horam mediam sub lecto satis gravi jacuisse, notabilem spumæ copiam os ejus occupasse; attamen a suffocatione imminente iterum liberatum esse, memini.

§. XLIX.

§. XLIX.

In corpusculo recens nati mortuo, suffocatione e vivis sublato, spuma os occupans, lingua prominula, facies tumida ac rubens, vel livida, vasa tunicæ oculorum albugineæ turgida, suggillationes circa collum, lividæ in corporis peripheria maculæ, auriculæ atque ventriculi cordis anteriorum plenitudo, pulmones valde extensi, lividi ac sanguine suffusi, spumæ in arteria aspera collectæ insolita quantitas, venæ jugulares atque meningum valde turgidæ, suffocationem accidisse, produnt. Cum tamen recens natorum fauces sero viscidiore sæpius scateant; *Joannes Bohnius* in tr. de infanticidio, pag. CXC. non nisi per plurium phænomenorum collectionem de malitiosa suffocatione Medicum decernere debere, rectissime monuit. Conf. *Ejusdem* tr. de offic. Med. forens. p. DCLXXII. ubi oris spumam certius suffocationis in adultis, quam recens natis esse, asseruit. Attamen in tr. de infanticidio p. CLXXXIX. quod infans sub stragulis in sordibus intra parturientis femora compressus, ac pronus diutius relictus, suffocatione necetur, affirmavit.

Ejus notæ.

§. L.

Casus.

Ex facie rutila, vasis piæ meningis atque albugineæ oculorum tunicæ præter naturam turgidis, pulmonibus lividis atque cruore repletis, spumaque in trachea reperta, infantem suffocatione extinctum fuisse,

Dn. *D. Trew* conclusit, vid. commerc. liter. Norimb. MDCCXXXV. p. X.

§. LI.

Suffocationis modo. Suffocatione modo natus interimitur, si sub ipso ex utero egressu, ante factam respirationem, in corpus fluidum praecipitatur: vel si post illam peractam, aëris in pulmones accessus cohibetur, v. c. culcitris aliisque corporibus ori ac naribus diutius incumbentibus, vel appressis, violenta strangulatione, manu vel laqueo peracta, corporibus peregrinis in fauces intrusione, vapore sulphureo vias pulmonum aërias constringente, atque aërem in loco clauso elasticitate privante, vivi in terram defossione.

Schol. Recens nati praecipitationem in cloacam mejendi atque alvum deponendi stimulo puerperae excusare solent. In primiparis, maxime stupidioribus, alicuius momenti haec excusatio est. At in illis, qui jam antea pepererunt, quibus dolores ad partum ignoti esse nequeunt, locum non habet.

§. LII.

Cranii laesiones. In nascendis ac recens natis mollium ac nondum inter se concretorum cranii ossium depressiones leviores in partu difficili, graviores a vi externa facile, non autem aeque illorum fracturae, tanto minus fissurae, ut in adultis, locum habent. At

a vi

a vi magna adhibita, v. c. violenta capitis in corpora dura allisione, horum in illa impactione, atque calcitratione, ossa cranii hinc inde confringi, & cerebrum dispergi solet; quæ læsiones absolute lethalibus merito accenseri solent. *Io. ab Horn* l. c. pr. II. c. V. quæst. III. inquit: Wenn bey dem Schiesliegen der Gebährmutter die Wehen das Kind auf das Schosbein zwingen, und man nicht zu rechter Zeit hilft; so wird dessen weiche Hirnschale eingedruckt, und es stirbt.

§. LIIII.

Casus. In infante tertio post partum laboriosum die, plures in capite suggillationes, ossis occipitis ultra duas lineas depressionem atque plenariam anestesian deprehendi, quibus admodum leni ossium bregmatis pressiore atque alterno in utramvis aurem decubitu medebatur; osse enim occipitis sensim extrorsum acto, atque in situm naturalem restituto, & cerebelli compressione ablata, infans convalescens omnes actiones ætati suæ convenientes edidit.

§. LV.

Vertebr. cerv. luxatio. Præter caput, etiam in cervicis vertebras, maxime primas, sollicite inquirendum, atque an in his locis suggillationes profundæ, vertebræ laxatæ atque medullæ spinalis compressio, aliave læsio, in recens natis multo facilius, quam in adul-

adultis, accidentes, obviæ sint, dispiciendum est; hæ enim absolutam lethalitatem inferunt.

§. LVI.

Lethalitatis caussæ eruendæ. Quod supra de lethalitatis caussis sollicite eruendis generatim monui, id etiam de læsionibus in recens nati corpusculo mortuo comparentibus, antequam de earum lethalitate quid statuatur, studiose observandum est. Læsiones hæ, etiamsi absolute lethales sint; vel vi dolose adhibitæ, vel casu, illatæ esse possunt, v. c. lethalis capitis compressio vel vi, vel casu contingere potuit, & hoc quidem, ubi sub situ parturientis erecto, fetus vi, corporibus cadentibus propria, caput in pavimentum durum vehementer illidens, vitam, ante factam respirationem, finierit. Funiculus umbilicalis vel data opera, vel ejusmodi lapsu, nisi placenta simul avulsa fetum secuta sit, rumpi potuit. Hæc igitur aliaque consimilia singulare examen exigunt; licet nihilominus corpus delicti quandoque dubium relinquant.

§. LVII.

Caussarum concursus. Cum effectus lethalis sæpius non ab una, sed pluribus caussis, pendeat; in illo definiendo ad harum concursum animus advertendus est, v. c. I. Respectu puerperæ, ad statum mentis corporisque morbosum, v. c. an stupida, melancholica, maniaca, epileptica, cataleptica sit. II. Ad anxi-

auxiliorum ignorantiam vel inopiam. III. Ad caussas externas concurrentes; e. g. graviorem gravidæ lapsum, terrorem, vehementiorem corporis exercitationem, frigus, recens nato nocivum &c. attendendum est; hæc omnia tamen non dolose fingenda, sed testimoniis fide dignis probanda, vel ex omnium dati casus variorum cohærentia colligenda sunt.

§. LVIII.

Villici cujusdam filia ex concubitu illicito gravida, ob partum clam factum, atque fetum sine funiculi umbilicalis deligatione mortuum inventum, in infanticidii suspicionem inciderat. Hæc ostituo ante partum, adjuvante operario, uno die undecim currus fimo oneraverat, sub qua vehemente corporis exercitatione, embryonis versionem atque descensum sensit, nec postea motum ejus percepit. Fetum editum præcocem fuisse, atque a partu respirationis atque sanguinis circuli motis caruisse, sectione legali constitit; quæ cum mortis caussa a puerpera proposita utique cohæserunt. Post graviorem lapsum in abdomen, gravidas sæpius abortum perpessas esse, a me aliisque in praxi forensi observatum est. *Casus*



Cap. XV.

De quæstione per tormenta.

§. I.

Tortura. Quando ex omnibus connexis rite investigatis, inquisitus admissi criminis fere convictus est; in quibusdam regionibus quæstione per tormenta (durch die peinliche Frage), cujus sic dicta tortura præcipua est, ad criminis confessionem cogitur. Cum autem plenaria convictio ad pœnam irrogandam sufficiat, nec innocentium, ob dolorum acerbitatem, crimen, a se non commissum, quasi patratum, atque post detectam confessionis falsitatem, dimissorum quidem, sed sanitate privatorum, vel ultimo supplicio injuste affectorum, exempla non desint; ne, sub justitiæ titulo, irreparabilia damna dentur, vel culposa homicidia admittantur; in pluribus rebus publicis bene constitutis administratisque quæstiones per tormenta ex foro criminali proscriptæ, in aliis vero vel simpliciter, vel cum restrictione, retentæ sunt.

§. II.

Autores. Plures autores de hoc veritatem eruendi modo sententias suas cum re publica literaria communicarunt; ex quibus nonnullos jam allegaturus sum: *Christ. Thomasii*

masii diss. de tortura e foris christianis proscribenda, Halæ Magd. MDCCV. *Ben. Ewald.* diss. de torturis, Regiom. MDCCVII. *Mich. Ern. Ettmüller.* diss. de tormentis ac pœnis sustinendis, Lipf. MDCCXI. *Jo. Frid. Falckneri* tr. de eo, quod justum est circa inquisitum variantem, præsertim in Saxonia electorali, ac finitimis quibusdam terris, Rudolst. MDCCXXIX. *Henr. Christ. Haacke* diss. de tortura e foris christianis non proscribenda, Lipsiæ, MDCCXXXIII. *Jac. Wittichii* oratio de iniquitate atque inutilitate tormentorum in quæstionibus reorum, Lugd. Bat. MDCCXXXVI. *Zach. Crameri* diss. de tortura ejusque effectibus, Lipf. MDCCXLII. *Joseph. Leonh. Baniza* disquisitio de tortura nec ex integro reprobata, nec ex integro approbata, Oenopont. MDCCLXXIV. Sonnenfelds Abhandlung von der Abschaffung der Tortur, Zürch 1775.

§. III.

Ejus scopus.

Omnis torturæ ratio eo redit, ut, in nonnullis corporis locis, cutis nervosa ac sensibilis, inprimis super ossa extensa, vehementer comprimatur, & sic nervorum irritatione acutus dolor excitetur, & sic rei confessio vi extorqueatur. De ea in constitutione criminali *Caroli V.* art. LVIII. sequentia præcepta sunt: die peinliche Frage soll, nach Gelegenheit des Argwohns, offt oder wenig, hart oder gelinder, vorgenommen, und die Sage des Gefangenen nicht in der Marter, sondern wenn er von derselben gelassen ist, angenom-

genommen, und aufgeschrieben werden. In hunc finem varia dolorem ciendi genera, horumque applicandorum gradus atque duratio excogitata sunt. Secundum leges criminales non ultra horæ spatium tortura extendenda, nec ante partium læsarum consolidationem repetenda, atque in ipso actu, si confessionem inquisitus promittit, actutum relaxanda est, vid. *Jo. Flor. Rivini* diss. an & quatenus mortis reus tormentis denuo subjiciendus sit? Lips. MDCCXXXVII.

§. IV.

Territio. Momenta inquisitum gravantia interdum non tanta sunt, ut quidam torturæ gradus applicari queat; sed judici in hujus comminatione, in loco judicii proponenda, subsistendum est; id quod territionem verbalem Jurisconsulti nominant: Semiplena probatione illum gravante, vel ætate torturam ipsam non admittente, territio in loco, ubi torturæ instrumenta applicari solent, ita fit, ut, se inquisitum apprehensurum atque torturæ instrumenta applicaturum esse, carnifex simulet, non autem verba ad rem conferat, quo tempore locoque judex præsentibus scabinis & actuario, reum de dicenda veritate serio admonitum rogat ad articulos.

§. V.

Primus torturæ Ad primum torturæ gradum pollictra (die Daumen-Stöcke) atque fidiculæ

diculæ (die Schnüren) referuntur. *gradus.* Brachiis inquisiti ad dorsum revinctis, ev mono non primæ, sed secundæ pollicum phalangæ, ad evitandam periostei sub ungue inflammationem (paronychiam) prelo ferreo, adductis sensim cochleis comprimuntur; ut in cute sensibili nervisque subjectis dolor exquisitus cieatur. Fidiculæ funes asperi, ex filis cannabinis, interdum ex pilis equinis, contorti, circa carpum aliquoties convoluti, adducuntur, rotantur concutiunturque, progressu ad cubitum, quin interdum supra *olecranum*, facto; id quod acerbum dolorem excitat, ipsumque sanguinem haud raro elicit, quo viso, subsistendum est; ne nimia fidicularum agitatione ac constrictione cutis, nervi ac vasa sanguifera nimium lædantur, ipsis articulis vis inferatur, gravesque læsiones, curatu difficiles, producantur.

§. VI.

Secundus torturæ gradus scala atque ocreis Hispanicis absolvitur. *Secundus gradus.* Nimirum inquisiti corpus super scalam extenditur, brachia in humerorum articulis retrorsum torquentur, ac dolor vehementissimus movetur. Cavendum tamen est, ne humeri luxatio fiat; cum hujus caput cum acetabulo minori nonnisi superficialem articulationem habeat, ligamentaque haud difficulter cedant. Prela ferrea eminentiis prædita tibiis applicantur, cutisque ad spinam tibiæ anteriorem ejusque periosteum comprimuntur, & dolor acerbissimus excitatur.

§. VII.

§. VII.

Tertius gradus. Ad tertium gradum cylindrus aculeatus in ſcalæ medio applicatus (der geſpickte Haſe) tergum rei ſub reciprocatione inforans, nec non bacilli lignei ſulphurati ſub unguibus adacti accenſique referuntur. Dantur & alia torquendi genera, quæ ex applicationis modo atque impetu facile dijudicantur. Inter hæc ſic dicta tortura Bambergenſis, tamquam admodum dolorifica, ac, niſi modum excedat, minus noxia, reliquis notior eſt. Equuleo ligneo, alligatis pedibus ac ſubligatis manibus, inquiſitus imponitur, cuteque cum dorſi muſculis nervoſis extenſa, ſcutica craſſiore ex loris ac ceti teſtis torta cæditur, vid. cel. Dn. *Jo. Rud. Engau* elementa juris criminalis germanico - carolini, Jenæ MDCCLIII. pag. CCCCXXXII. b. m. Dni *Jo. Frid. Faſelii* gerichtliche Artzeney-Gelarheit, p. 127. Würzburg 1770.

§. VIII.

Torturæ irrogatio. An territio verbalis, vel realis, aut ipſa tortura, & quinam hujus gradus, locum habeat, conſultis prius, re exigente, Medicis. Juriſconſulti definire ſolent, vid. Dni *Aug. Leyſeri* diſſ. de officio judicis circa torturam, Wittenberg. MDCCXL.

§. IX.

§. IX.

Ejus moderamen.

Ipsum judicem, post cognitam inquisiti constitutionem, an & in quo gradu quæstio per tormenta locum habere possit? Medici instruere debent. In omnibus autem torturæ generibus gradibusque adhibendis a judice tortori mandandum est, ut, corporis inquisiti habitum respiciens, illam, maxime in imbecillis, ita moderetur, ne nimiæ cutis, subjectarumque partium destructiones ac inflammationes, articulorum distorsiones, ossium fracturæ, aliave ominosa symptomata oriantur; quam ob caussam percussiones sub ipsa tortura, olim applicari solitæ, jam tutius omittuntur, vel saltim moderantur, vid. Dni *Christ. Wildvogel.* diss. de arbitrio judicis circa torturam, Jenæ MDCCX.

§. X.

Periculi indicia.

In ipsa tortura suspensis periculum aliquod instare, hæc indicia produnt: nimii sudores, lividus & cadaverosus corporis, præsertim brachiorum, pectoris & capitis color, totius corporis delassatio ac lentor, vocis languor, crebrior respiratio, stertores, atque salivæ ex ore profluvium. Quos ita laborantes ostenderis, monente Dn. *Fortunato Fideli* de Medicorum relationibus, l. II. s. III. cap. V. pag. CCXXXVI. eos jube statim solvi, ne suspensus, tua magna infamia, deficiat. Cum jam non longe a trochlea ductus est reus, & respondere jussus, difficulter loqui

loqui possit, aut quoddam ex enarratis indiciis adsit, periculosa tunc erit concussio, & sensim æqualique lapsu homo dimittendus est.

§. XI.

Torturam avertentia. Dantur quædam momenta torturæ, sub his connexis periculosæ, applicationem impedientia; in quem censum naturales quædam corporis constitutiones atque ætates, quidam mentis ac corporis morbi, graviditas, puerperium brevi peractum, atque infantis lactatio veniunt; de quibus singulis scitu observatuque necessaria jam proponenda sunt.

§. XII.

Corporis constitutio. Subjecta angusto thorace atque scapulis prominentibus prædita, adeoque in pectoris morbos inflammatorios prona extensionem super scalam haud ferunt. *Fortunatus Fidelis* l. c. qui nimis angusto, inquit, thorace sunt, alatos Medici vocant, eminentibus scilicet humeris, thoracis morbos facile subeunt, atque ægerrime ferunt; hos ego non raro ab hoc tormenti genere excusare soleo. *Idem autor* l. c. c. III, ait: qui admodum obesi sunt, magnoque corporis mole graves, equulei tormentum semper ægerrime sustinuisse, mihi visi sunt; etenim respirandi difficultatem, syncopen, apoplexiam, mortemque repentinam perpeti solent.

§. XIII.

§. XIII.

Impuberes, ob mentis corporisque imbecillitatem, torqueri nequeunt. *Aetas.* Nec in adoleſcentibus, ob epiphyſes cum oſſibus nondum coalitas, nec in ſenibus, maxime decrepitis, ob muſculorum ligamentorumque rigiditatem oſſiumque fragilitatem, tortura locum habet. An unus vel alter levior tormentorum gradus adhiberi poſſit, nec ne? ex ſingulari corporis conſtitutione dijudicandum eſt.

XIV.

Dantur tam mentis, quam corporis morbi quæſtionem per tormenta prorſus excludentes, v. c. ſtupiditas, melancholia, mania, ſurditas, aphonia, convulſiones tonicæ atque cloniœ per intervalla recurrentes, catalepſis, vertigo chronica, cephalæa, aſthma chronicum, diſpoſitio ad hæmoptyſin, ipſa hæmoptœ, phthiſis, hectica, hydrops, paralyſis, arthritis inveterata, icterus chronicus, herniæ, calculus renum & veſicæ, gibberoſitas. *Morbi.* Quidam corporis affectiones ac morbi torturæ dilationem eo uſque exigunt, uſque dum tranſierint ac percurati ſint, e. g. periodica ſanguinis & ſeri profluvia, febres acutæ ac intermittentes, vulnera, lues venerea, ſcorbutus &c. A tortura ſcalæ excipiuntur ſtruma laborantes & quibus aliquando brachium fractum fuit, aut quibus interni muſculi aut tendines tranſverſim inciſi fuerunt; horum enim brachia ægre extendi poſſunt, vid. *Fortunatus Fidelis* de Medicorum reſponſis, l. II. ſect. III. cap. VIII. Qui

in tibiis tumores, œdemata aut ulcera inveterata gerunt, ocreas Hispanicas ferre nequeunt. In *Nemesi Carolina* tit. LIX. cautum est; Wenn der Beklagte Wunden oder Schäden an seinem Leib hat; so soll die peinliche Frage dermasen gegen ihn vorgenommen werden, damit er an solchen Wunden oder Schäden am mindesten verletzt werde. Conf. *Jo. Phil. Eyselii* diss. de morbis, ob quos rei ad torturam inhabiles sunt, Erfordiæ MDCCXI. *Mich. Alberti* tr. medico-forensis de subjectis torturæ aptis atque ineptis, secundum morales & physicas caussas, Halæ Magd. MDCCXXX.

§. XV.

Gravidæ, puerperæ, lactantes.

Cum, ob periculum in embryonem inde resultans, gravidæ ne territione quidem tentari possint; tantum abest, ut ullus quæstionis per tormenta gradus in illis locum habeat. *Digest.* l. XLVIII. tit. XIX. §. III. de prægnante muliere ne quæstio quidem habenda est. Nec in puerperis atque lactantibus, ob metuendas lochiorum, sanguinis, atque spirituum animalium circuitus turbas, tortura admitti potest. Hinc Dn. *Carpzovius* ex præjudicio male fundato, primis scil. gestationis mensibus embryonem nondum animatum esse, gravidam tum temporis torqueri posse, perperam censuit.



Cap.



Cap. XVI.

De defensione in carceribus & condemnatione ad opus publicum.

§. I.

Carcerum conditio.

Sive quem de crimine ac fuga suspectum, durante inquisitione, in carcere detinere, necesse sit, aut quis, pœnæ loco ad temporarios, vel perpetuos carceres condemnatus sit, semper eo respiciendum est, ne frigore, squalore, aliave sanitati inimica conditione, noceat; injustum enim foret, miserum eorum statum insuper etiam exitiosum reddere, eosque, exantlata carceris pœna, sanitate privatos, victum laboribus quærendi inhabiles, ac reipublicæ onerosos reddere. De carceribus in *Nemesi Carolina* art. XI. sequentia cauta sunt: die Gefängnisse sollen zu der Behaltung, und nicht zu schwerer und gefährlicher Peinigung der Gefangenen, zugerichtet seyn. Art. CCXVIII. werden die, nicht zur Verwahrung, sondern mehr zur Peinigung der Gefangenen, eingerichtete Gefängnisse unter die abzuschaffende Mißbräuche gerechnet. Nec in nocivo corporis situ carceribus inclusi detinendi, nec compedibus aut catenis justo arctius, cum sanitatis ac vitæ periculo, constringendi, quin potius eorum querelæ de hac injuria audien-

diendæ, ac, si opus fuerit, a Medicis investigandæ sunt. *Jo. Bohnius* de officio Medici forensis, pag. DCIV. compedibus, inquit, similibusque vinculis, maxime ferreis, constrictorum inspectio fieri debet.

Schol. Infantes cum matribus reis in carceres, inprimis insalubres, haud conjiciendos esse, in politia medica pag. LXXXVI. uberius ostendi, miserandaque lactantis morte, ex hac caussa, ob judicum incuriam, orta, comprobavi.

§. II.

Injusta incarcerat. prorogatio.

Per illud tempus, quod accurata facti inquisitio requirit, de crimine suspecti in carceribus juste detinentur; & hoc tam justitiæ administrandæ, quam securitati publicæ præstandæ, merito tribuitur, & ubi reorum culpa atque pertinacia, aliisque connexis ex ipsa caussa orientibus, inquisitionis processus differtur; culpa haud penes judicem est. Ubi vero ex hujus inscitia, vel negligentia incarcerati, post probatam innocentiam liberandi, vel noxii pœna corporis afflictiva, vel ultimo supplicio, afficiendi, justo diutius in carceribus detinentur, culpa in judicem merito recidit. Eadem in Juris & Medicinæ Consultorum collegia cadit, si responsa in caussis criminalibus danda præter justum & æquum differunt.

Obs. Durante judicis cujusdam iniqui, Comiti cuidam servientis, in regionem dissitam pro-

profectione, diutinaque folius animi inter amicos recreandi cauſſa, emanſione, inquiſitum furti ſuſpectum, in ſqualido carcere detentum, deſperatione impulſum, fune ex veſtimentorum laciniis contorto gulam ſibi fregiſſe, ſpontaneamque mortem ſumſiſſe, memini.

§. III.

Teſtimonia.

Ejusmodi judicum negligentiam atque injuſtitiam Imperator Juſtinianus Codicis l. IX. tit. IV. §. V. ſequenti modo redarguit: de his, quos tenet carcer incluſos, id aperta definitione ſancimus, ut aut convictos velox pœna ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret. Dn. *Carpzovius* part. III. quæſt. CXXX. judices, inquit, caveant, ne miſeros reos in carceres horribiles atque immundos detrudant; id quod absque vitæ detrimento vix fieri poteſt, atque ob id delinquenti delictum majus in ſe ipſum perpetrandi interdum anſam præbet.

§. IV.

Inquiſiti ægri cuſtodia.

Inquiſiti morbo correpti in tali cuſtodia detinendi ſunt, quæ morbum non ſuſtinet, vel auget, ſed potius, cum diæta recte conſtituta, præſcriptisque convenientibus pharmacis, eo collimat, ut æger cum valetudine ſecunda quantocyus in gratiam redire poſſit, vid. Dn. *Jo. Chriſtoph. Pohlii* progr. de cura morborum in hominibus carcere incluſis obſervatorum, Lipſ. MDCCLXXII.

§. V.

Illorum alimenta. Licet carceribus inclusorum alimenta ut plurimum non nisi tenuia sint, & quandoque solo pane & aqua absolvantur ; eo tamen, ut ille ex farina bonæ notæ probe coctus, atque hæc pura sit, tam a Judice, quam Medico, cujus curæ in carceribus detenti crediti sunt, respiciendum est; ne mala corruptaque alimenta miserorum valetudini noceant.

§. VI.

Laborum conditio. Ubi detentio in carcere pœnæ loco est, atque in illum conjecti ad opus publicum aliquamdiu, vel per totam vitam, faciendum, condemnati sunt; labores ad eorum secundam valetudinem conservandam utique faciunt ; modo non nimii, ac cujuslibet viribus proportionati sint ; nulla enim pœna ita comparata esse debet, ut vires destruat, ac sanitatem lædat. Feminæ carcerales melius etiam ad opus cum corporis exercitatione conjunctum, quam ad perpetuam vitam sedentariam, sanitati oppido inimicam, in quantum illarum vires id ferunt, adiguntur ; id quod in nonnullis locis prudenter procuratur, in aliis vero male negligitur.



CAP.



Cap. XVII.

De ultimo supplicio.

§. I.

Impuberes, plenum rationis usum non habentes, stupidi, magno melancholiæ gradu, vel mania laborantes, tanquam ratione destituti, libere agere nequeunt; ergo ne damna dent, coërceri quidem ac custodiri, minime autem pœnis ordinariis, nedum ultimo supplicio, affici possunt. Feminæ etiam gravidæ non a pœnis solum corporum afflictivis, sed etiam a mortis pœna liberæ sunt; ne in insontem fetum graviter peccetur, atque homicidium inexcusabile committatur. *Digest.* l. XLVIII. tit. XIX. §. III. definitum est, ut prægnantis mulieris damnatæ pœna differatur, quoad pepererit. *Ab illo liberi.*

§. II.

Riolanus anthropologiæ l. VI. c. I. feminæ cujusdam fatum crudele, ob furta Lutetiæ Parisiorum suspensæ, retulit, quam, quamvis ad extremum usque spiritum, se gravidam esse, motumque fetus persentiscere, asseveraret; vacua tamen, nec feta ab imprudentibus ac temerariis chirurgis atque insciis obstetrici- *Casus.*

 bus,

bus, ad ventris inspectionem convocatis, impudentissime judicabatur; donec ejus corpus mortuum usui anatomico concessum, & huic inclusus fetus septimestris, ipsi, quamvis justo serius, caussam diceret.

§. III.

Supplicii dilatio. Quando ex institutionis neglectu, erroneis principiis a juventute haustis, ingenii tarditate, vehementibus animi perturbationibus, non autem ex mentis improbitate atque malitia, peccata sua agnoscendi, pœnitendi, atque doctrinæ ac solatii ex verbo divino desumendi ad ultimum supplicium damnati ad tempus incapaces, vel gravi morbo correpti sunt; hoc, usque ad prudentem piamque impedimentorum remotionem recte differtur, vid. b. m. Dni *Jo. Christ. Hebenstreit.* diss. de differendo impœnitentis delinquentis supplicio, Lips. MDCCXXIII.



Cap. XVIII.

De inquisiti defensione ex rationibus medicis.

§. I.

Defensionis scopus. Vel criminis prorsus diluendi, vel saltim quæstionem per tormenta, aut mojorem hujus gra-

gradum, aut denique pœnam mitigandi ſcopo, inquiſitorum defenſores varia ex perſonæ conditione, ipſo facto ejusque connexis, in actis obvenientibus, vel aliunde petitis, afferre ſolent, atque, pro re nata, vot[illegible] vel in totum, vel ex parte, compotes redduntur, aut ſpe ſua excidunt, vid. *Jo. Frid. Toennickeri* diſſ. de advocato prudente in foro criminali, Francof. MDCC. Dni *Hier. Frid. Schorchii* diſſ. de eo, quod circa reorum defenſionem honeſtum atque decorum eſt, Erfordiæ MDCCXXX.

§. II.

Argumenta phyſico-medica.

Defenſionis argumenta phyſico-medica eo potiſſimum recurrere ſolent, ut primo inquiſiti ægrotus animi corporisque ſtatus rite inveſtigetur ac demonſtretur. Dein ut circa effectus lethiferi cauſſas dubia moveantur. Denique ut minus accurata corporis delicti conſtitutio oſtenſa in rei excuſationem cedat. Defenſio hæc felicius ſuccedere ſolet, ſi unius alteriusve Medici in rebus anatomicis & phyſico-medicis, atque in foro probe verſati conſilia atque judicia de caſu dato cauſſarum patroni ſibi expetunt; ne ipſimet, principia phyſico-medica non ſatis intelligentes, allotria urgeant, & graviſſima momenta, in maximum defendendi damnum, prætereant. Conſulti autem Medici non inſpectionis atque ſectionis protocollum ac viſum repertum ſolum expendant; ſed tota acta diligenter perlegant; cum modo non ſemper in teſtium depoſitionibus aliisque connexis, docu-

menta pro inquisito egregie militantia, atque ad forum physico-medicum pertinentia, occurrant.

§. III.

Aegrotus mentis status. Cum nonnulli profunda melancholia, vel mania semper, aliis non nisi statis quibusdam temporibus, v. c. circa solstitium æstivum, vel accedentibus motibus menstruis, vel hæmorrhoidalibus, iisque irritis laborent, quidam circa omnia, alii vero nonnisi circa quædam objecta delirent, nonnulli denique circa febrium acutarum initia delirio tacito, vel dissimulato afficiantur; in defendendo ex hoc capite inquisito omnes hæ mentis alienatæ species probe expendendæ sunt, & inquisitum vel jam antea, vel in ipsa facti commissione, delirio laborasse, demonstrandum est. Idque non ex ipsis actionibus mentis errorem prodentibus solum, sed etiam ex atrabilario corporis statu, aliisque connexis, conspicuum reddendum est. Si quis non quidem mente captus, sed adeo stupidus est, ut sensu communi careat, quod in iis, qui a nativitate surdi ac muti sunt, & nunquam ad rationis usum pertingunt, observare possumus, vel adhuc in ætate puerili versatur atque ad discretionis annos nondum pervenit; vel ex senio decrepito delirat, hæc in excusando inquisito quoque attendenda sunt.

§. IV.

Leges. Ad ægrotum mentis statum Romanos in jure dicendo jam attendisse, ex lege Cornelia patet, in qua ad homicidium aliaque faci-

facinora dolus requiritur; qui in mente captos non cadit. In *Nemesi Carolina* art. LX. caussis excusabilibus annumeratur: wenn Leute tödten, die ihre Sinnen nicht haben. Art. CLXXIX. wenn von Jemand, der Jugend oder anderer Gebrechlichkeit halben, seine Sinnen nicht hat, eine Uebelthat begangen worden; so soll nach Rath der Verständigen darinn gehandelt werden.

§. V.

Autores. Dni *Christ. Thomasii* diss. de præsumtione furoris & dementiæ, Halæ Magd. MDCCXXII. cum *El. Camerarii* annot. recusa, Tubingæ MDCCXXX. *Jo. Christ. Hebenstreit.* diss. de homicida delirante ejusque criteriis & pœna, Lips. MDCCXXIII. *Jo. Zach. Platneri* progr. quo, Medicos de insanis & furiosis audiendos esse, ostendit, Lips. MDCCXL. *Fr. Lebr. Stolze* diss. de eo, quod justum est in defensione inquisiti ex capite imbecillitatis mentis, Lips. MDCCXLIII.

§. VI.

Casus. In praxi forensi sequens casus mihi obtigit: Juvenis temperamenti melancholici matrem suam atque fratrem, sine data caussa, graviter vulneraverat. Hic quidem antea melancholiæ, nulla autem maniæ signa, sed in hoc actu & post eum semper edidit. Status corporis atrabilarius, oculi truces, verba & facta delira alienatum mentis statum satis prodebant, inter quæ sibi ejusmodi conamina a spectris, quibus sine magno periculo resisti non posset, mandari, pertinaciter urgebat,

bat, mirasque eorum formas delineabat. Veteranus medicinæ candidatus, delirio occulto laborans ac nonnullis diebus post febre acuta maligna extinctus, alterius studiosi, vix a periculo postea liberati, verrucæ auferendæ caussa, magnam faciei partem butyro antimonii inunxerat, & mox lecto affixus atque ex eo subito prosiliens, Medici sui fauces, ni alii auxilio venissent, elisisset.

§. VII.

Corporis morbi. Naturalis vel morbosus corporis status viriumque conditio in accusatis quandoque ita comparata sunt, ut ad facinus aliquod committendum minime sufficiant, v. c. si femina robusta ac procera de vi sibi ab homine imbecillo ac pumilo illata queritur, aut si infanti, aut alii ex quacunque caussa valde debili, talis alterius læsio imputatur, ad quam producendam nonnisi vires hominis adulti atque robusti sufficiunt. Mulier quædam robusta atque rixosa alterius feminæ caput rastro graviter vulneraverat, & dolum a se amolitura, id non a se, sed a puella quinquenni, rixantibus adstante, factum esse, contendebat; at culpam in hanc recidere non posse, & instrumenti & læsionis gravitas satis manifestabant.

§. VIII.

Dubia de lethal. caussis. Pluribus caussis antecedentibus, concomitantibus ac subsequentibus ad effectum aliquem declarandum concurrentibus, caussæ proxi-

proximæ definitio multis difficultatibus sæpius premitur: hinc in inquisitorum defensionibus ut in omnes caussas in actis obvias, ac aliunde commode conquisitas, defensores inquirant, atque, quantum fieri potest, ostendant, effectum lethalem non ab ipsa læsione, sed potius ab aliis caussis, e. g. aëris injuriis, morbo jam antea præsente, vel postea superveniente, neglectu, prava vulnerati diæta, mala curatione, lapsu in corpus durum, læsionibus corpori mortuo aliunde inflictis &c. pendere, utile est. Ubi vero hæc excusatio locum non habet; effectum lethalem non a sola læsione, sed aliis caussis accidentalibus cooperantibus productum fuisse declarent; hoc enim plurium caussarum in dictum effectum collimantium concursu, non ficto, sed demonstrato, Medicinæ atque Juris Consultorum collegia, sententiam de dato casu laturam in dubio relinquit, atque reum saltim ex parte excusat pœnamque mitigat. Ubi vero percussiones absolute lethales fuisse, constiterit; tunc ejusmodi connexa accidentalia in cassum prætenduntur; quippe quæ tunc demum attendi merentur, ubi lethalitatis signa dubia sunt, vid. *Jo. Bohnius* de vulnerum inspectione, pag. XV.


§. IX.

Accurate corporis læsi inspectio, & mortui sectio legalis, firmissima quidem, ad certitudinem corporis delicti stabiliendam, totumque inquisitionis processum rite formandum, fundamenta ponunt. Cum autem ex minori casus evidentia, nimia *Corpus delicti.*

corpo-

corporis mortui putredine, vel accidentali dilaceratione, ſecantium ignorantia, vel negligentia quandoque accidat, ut accurata ſectio inſtitui haud potuerit, vel in ſectionis protocollo ac viſo reperto defectus, errores, contradictiones, occurrant; hæc omnia probe ponderanda ſunt, atque, an inter ſe & cum læſione ejusque cauſſis, principiis anatomicis & phyſico-medicis, nec non cum ſecantium judicio inde formato cohæreant, nec ne? an ſubreptionis vitia commiſſa, atque an dubia, vel ſaltim non niſi probabilia pro certis poſita fuerint? probe diſpiciendum eſt; ubi enim commiſſi errores, defectus, contradictiones, hypotheſes &c. adeſſe, demonſtrari poteſt; corporis delicti certitudo, adeoque certa judicandi atque ſententiam ferendi fundamenta deſunt. Teſte *Joan. Bohnio* de vulnerum inſpectione, pag. IV. ſi læſionis ratio formalis non ſatis evidens eſt, nec inſpicienti adeo comparet, vel quod ab hoc ejus conditiones perfunctorie ſatis attenduntur, obſcurius ac impertinenter recenſentur; peritorum collegia, quæ ſecundum ejusmodi acta valde obſcura ſententiam de vulneris lethalitate dicere debent, ambigua maxime redduntur.

FINIS.



INDEX RERUM,

cujus numeri paginas indicant.

A.

Z Asthma

Cere-

D.

 De-

Euphor-

Læsio-

Morbi

Puer-

Scli-

Suppli-

Venena

Vulne-

Vulne-



Sphalmata typographica, ob autoris abſentiam, admiſſa, Benevolus Lector ſequenti modo corriget:

Pag. 7. lin. 17. lege operationibus. l. 21. præſtantius. p. 22. l. ult. Chirurgi. p. 103. l. 9. raro in habitualem. p. 114. l. 4. carens. p. 125. l. 24. non ſolum. p. 127. l. 31. J. G. Rœderer. p. 135. l. 22. ſed contemtum. p. 150. l. 15. ſupplicio. p. 157. l. 18. Mißpickel. p. 166. l. 26. dele cur: p. 175. l. 19. dele capitis. p. 181. l. 13. lege rubræ. p. 181. l. 19. adde hepar, crocus metall. p. 183. l. 13. & 14. dele hepar & crocus. p. 197. l. 11. adde werden. p. 204. l. 2. lege repræſentat. p. 207. l. 9. hyoſcyamo. p. 210. l. ult. miĉtum. p. 225. l. 5. flaccida. p. 233. l. 15. vulnus. p. 238. l. 13. compareant. p. 243. l. 9. diviſa. p. 268. l. 1. epigaſtrica. p. 275. l. 11. periculoſiſſima, lethalia. p. 282. l. ult. umbilicus. p. 292. l. 3. concluſiones. p. 300. l. 5. magiſtratus. p. 309. l. ult. læſionis. p. 320. l. 28. teĉtum. p. 327. luxatæ. p. 329. l. 14. oĉtiduo. p. 335. l. 26. offenderis. p. 339. l. 2. detentio.

